DE

SPIRITU SOCIETATIS JESU

AUCTORE

JULIO COSTA ROSSETTI,
EJUSDEM SOCIETATIS SACERDOTE.

CUM APPROBATIONE SUPERIORUM ORDINIS.

ALMA COLLEGE
060.154
LIBRARY
R735
Alma, California

FATHERS COLLEGE
ALMA LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH
LIBRARY
SAN JOSE
Alma, California

FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMPTIBUS HERDER.
MDCCCLXXXVIII.
EJUSDEM LIBRARIAE AEDES SUNT VINDOBONAE, ARGENTORATI, MONACHII ATQUE IN URBE S. LUDOVICI AMERICANA.

6523

Salvo jure proprietatis et translationis.

Typis Herderianis Friburgi Brisgoviae.

SACRATISSIMO

CORDI D. N. JESU CHRISTI,

QUI EST

EXEMPLAR, CAPUT ET FONS VITAE SOCIETATIS,

IMMACULATO

CORDI B. MARIAE VIRGINIS,

QUAE EST REGINA ET MATER EJUSDEM

ET

S. IGNATIO,

FUNDATORI ILLIUS ET PATRI NOSTRO,

HOC OPUSCULUM SUUM

DEDICAT

AUCTOR.

FATHERS LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH
ALMA
SAN JOSE, - Calif.

FATHERS LIBRARY
ST. JOSEPHS CHURCH
SAN JOSE, -California

PRAEFATIO.

Hujus opusculi finis est spiritum Societatis Jesu proprium breviter et solide declarare atque ostendere, in quibus a spiritu reliquorum Ordinum religiosorum etiam sanctissimo differat. Cum enim singuli Ordines inter se fine ac mediis et ideo etiam spiritu diversi sint, satis non est, ut Religiosus perfectioni altiori generatim studeat et a spiritu mundi hujus perversi abhorreat, nisi etiam *eo modo* in perfectionis studium incumbat, qui *spiritui illius Ordinis,* cujus est membrum, respondet, et nisi huic se totum conformem reddat. Quapropter etiam S. Ignatius in Parte 6. Constitutionum cap. 1. n. 1. ait: „Omnes constanti animo incumbamus, ut nihil perfectionis, quod divina gratia consequi possumus, in absoluta omnium Constitutionum *nostrique Instituti peculiari ratione adimplenda* praetermittamus“ (cf. Reg. 15. Summ.).

Offero hoc opusculum inprimis *tironibus* (cum pleraque in eo contenta jam ante studia altiora intelligi possint), quo *facilius ideam illam divinam mente concipiant,* quam S. Ignatius in Societatis Instituto expressit, et ut sine errore illo spiritu apostolico se impleant, qui Societati proprius est.

Offero hoc opusculum potissimum *Scholasticis,* ut illam *Societatis cognitionem,* quam in tirocinio acquisierunt, *magis perficiant atque se in amore vocationis confirment.* Facile enim fit, ut tirones ea, quae de Societatis spiritu audiunt et legunt, defectu maturioris aetatis minus clare percipiant, vel ut cognitio acquisita paulatim aut oblivione minuatur aut varias ob causas obscurior reddatur. Accedit non raro juvenilis animi inconstantia, accedunt tentationes et pugnae, quibus fieri potest, ut longo studiorum et magisterii tempore pulchra illa Societatis imago olim mente concepta sensim in animo deficiat multumque pristini splendoris amittat idque non sine vocationis amittendae periculo. Sed praeterea, etiamsi id non accideret neque unquam malum ejusmodi remedium exigeret, optimi quique inter Scholasticos desiderant Societatem, quam matris instar amant, perfectius cognoscere ejusque spiritu plenius imbui. Cum autem scientiis dent operam et in rerum causas perpetuo inquirant, sibi non satisfaciunt, nisi etiam Societatis nostrae profundiorem cognitionem ex causis haustam, qualem scientia praebet, consequantur. At nullus videtur exstare liber fini huic accommodatus, qui neque nimis magnus sit, quam ut ad legendum tempus Scholasticis suppetat, neque nimis parvus, quam ut tractatio plena et solida esse possit. Quare hoc opusculum, ut justo huic ac salubri desiderio satisfiat, breviter in causas tum proximas tum ultimas Societatis inquirit, ex

causis essentiam ejus et proprietates seu notas ipsi peculiares illustrat, ut inde spiritus Societati proprius clare ante mentis oculos ponatur et genuinus ejus amor foveatur.

Offero hoc opusculum praeterea *Patribus, qui in tertia Probatione versantur;* quamvis enim finis illius non sit „jus Societatis“ exponere, cujus studio accurato et serio Patres illi occupantur (in quo eximio opere Francisci Suarez S. J., De Religione Societatis Jesu, juvari possunt), nihilominus etiam in hoc negotio illis liber hic utilitatem afferre potest. Ostendit enim, qua ratione multitudo legum Instituti ad unitatem reduci possit earumque verum sensum, proposito spiritu Instituti, aperit, qui, si sola littera scripta consideretur, nonnunquam dubius esse potest. Profecto quod in codice juris omnis positivi interpretando valet, etiam de jure nostro fateri debemus: „Littera (sola) occidit, spiritus autem vivificat,“ ille nimirum, quem praebet caritatis illius lex, de qua S. Pater in prooemio Constitutionum loquitur.

Offero denique hoc opusculum *omnibus,* qui divinum Instituti splendorem identidem considerare ejusque amorem in se vel aliis fovere desiderant. Exhibet enim, non stilo quidem ornato et sublimi, non ea ratione, quae rei tantae par esse videatur, *novo tamen modo* ea, quae peritis Instituti nota sunt quaeque servire possunt, ut facilius toto vitae tempore spiritum Societati pro-

prium consideremus, id, quod S. P. Ignatius exoptat (in Formula Instituti a Julio III. approbata in Bulla „Exposcit debitum“) dicens: „... curetque (quisque) inprimis Deum, deinde *hujus Instituti rationem,* quae via quaedam est ad illum, *quoad vixerit ante oculos habere.*“

Divisio materiae ita facta est, ut ordo partium conspectui facile se offerret. Capita singula in breves articulos dividere placuit, ut liber non tantum lectioni et studio, sed etiam meditationibus commodius inservire possit sive illis, quae mane institui quotidie solent, sive illis, quae triduo ante renovationem votorum publice proponuntur.

Ea, quae ex aliis libris descripta sunt, suis locis accurate indicantur.

Haec sunt, quae praefanda videbantur. Restat, ut SS. Sacrificiis et orationibus legentium se commendet

Posonii (Pressburg),
mense Septembri 1885. **auctor.**

INDEX MATERIAE.

Pag.

Praefatio. Index. Prooemium . . . I—XVI

PRODROMUS.

De illis, quae Societati Jesu cum aliis religiosis Ordinibus sunt communia.

Caput 1. Societas Jesu est *status perfectionis* altioris acquirendae 1

Caput 2. Societas Jesu est status perfectionis altioris *per tria vota* acquirendae 8

Caput 3. Societas Jesu est ab Ecclesia positive *approbata* 11

De spiritu Societatis Jesu proprio.

PARS PRIOR.

De causis Societatis Jesu . . 17

SECTIO I.

De causa finali Societatis Jesu.

Caput 4. Finis Societatis est *gloria Dei* externa tum *intensive* tum *extensive major* 18

Caput 5. Finis Societatis Jesu est major Dei gloria *per vitam contemplativam* simul *et activam* promovenda 22

Pag.

Caput 6. Vita mixta Societati Jesu propria ejusmodi est, ut studium salutis et perfectionis alienae cum studio perfectionis propriae non secundario tantum, sed aeque primario et principaliter conjungatur, et ita quidem, ut hi duo fines proximi in unum concrescant 27

Caput 7. Societas Jesu est Ordo apostolicus; quare non est Ordo Monachorum, sed Ordo Clericorum Regularium, ita tamen, ut etiam ab aliis Clericorum Ordinibus plurimum differat 32

Caput 8. De vestitu clericali Societatis . . . 43

SECTIO II.

De causa efficiente Societatis Jesu.

Caput 9. Singularis providentia Dei se ostendit in S. Ignatio eligendo, convertendo et disponendo ad fundandam Societatem . 62

Caput 10. Spiritus Sanctus singulari modo auctor Societatis Jesu dicendus est . . . 66

Caput 11. Singularis Dei providentia se manifestat in confirmatione Societatis Jesu per Summos Pontifices 70

Caput 12. Singularis Dei providentia se ostendit in Societatis indole temporibus accommodata, in ejus celeri propagatione, ejus alibi abolitae in Russia conservatione et restitutione in universa Ecclesia . . . 73

SECTIO III.

Christus causa efficiens simul et exemplar necnon caput Societatis.

Caput 13. Idea exemplaris in mente S. Ignatii formata est secundum exemplar externum, quod est Christus Dominus 76

Pag.

Caput 14. Christus est exemplar Societatis ejus fini accommodatissimum, simul vero fons vitae et caput Societatis 82

Caput 15. Societas Jesu est singulari ratione Societas Cordis Jesu, spiritu S. Joannis Ev. imbuta 84

Caput 16. Cultus „Cordis invisibilis“ Jesu Societati Jesu quam maxime convenit . . . 90

Caput 17. Christus singulari favore cultum ecclesiasticum sui Cordis sacratissimi Societati potissimum propagandum et defendendum commisit 95

Caput 18. Cultus SS. Cordis Jesu quam proprius sit Societati, historia de ea abolenda, in Russia conservanda et in toto orbe iterum restituenda ostendit 101

Caput 19. Cultus SS. Cordis in Societate restituta singulari ratione florere debet et floret 111

SECTIO IV.

De causa materiali et formali Societatis Jesu.

I. De causa materiali . . . 124

Caput 20. Delectus materiae a Societate adhibendus fini sublimi Societatis respondet . . 125

Caput 21. Materia, ex qua Societas formata est, ostendit, in ea necessario multos defectus inveniri 130

II. De causa formali . . 134

Caput 22. De votis Scholasticorum, Coadjutorum formatorum et Professorum . . . 135

Caput 23. De subjectione Superioribus et legibus debita 148

SECTIO V.

De structura corporis Societatis.

Pag.

I. De diversis membrorum classibus . 153

1. De classe tironum et tirocinio.

Caput 24. Tirocinium Societatis ejus fini et toti indoli respondet spectatis tum biennio probationis tum experimentis tum separatione ab aliis classibus . . . 155

2. De Scholasticis approbatis.

Caput 25. Quae de Scholasticis statuta sunt, fini Societatis respondent 168

3. De Professis et Coadjutoribus.

Caput 26. Distinctio classium Professorum et Coadjutorum formatorum fini Societatis convenit 175

Caput 27. Distinctio classium Societatis exemplari ejus, quod Christus Dominus est, respondet 184

II. De forma regiminis Societatis . 185

Caput 28. Forma regiminis Societatis praestans est 186

PARS POSTERIOR.

De notis Societatis Jesu . . 198

I. NOTA PRIMA.

Latitudo seu universalitas Societatis Jesu.

Caput 29. Societas Jesu est Ordo maxime universalis 199

II. NOTA ALTERA.

Altitudo seu sublimitas Societatis Jesu . 217

Caput 30. Societas Jesu tota ad sublimissima tendit 218

III. NOTA TERTIA.

Profunditas seu humilitas Societatis Jesu.

Pag.

Caput 31. Societas suis membris summum humilitatis studium commendat . . . 224

IV. NOTA QUARTA.

Asperitas seu rigor magnus abnegationis.

Caput 32. Societas Jesu rigorem abnegationis eximium profitetur et amplectitur . . 236

V. NOTA QUINTA.

Dulcedo seu suavitas Societatis.

Caput 33. Cum rigore Societatis magna suavitas conjungitur 249

VI. NOTA SEXTA.

Firmitas seu soliditas Societatis Jesu.

Caput 34. Societas Jesu soliditatem prorsus singularem habet 258

CONCLUSIO.

De praestantia Societatis deque in eam amore.

Caput 35. De amore Societatis genuino . . 266

APPENDIX.

Comparatio Instituti Societatis cum Exercitiis S. Ignatii 271

PROOEMIUM.

Spiritus Societatis Jesu est „modus determinatus et constans, quo Societas haec ex sua indole cogitat, vult ac sentit, et ex quo certus modus operandi consequitur“. Haec definitio concipiendi et loquendi modo communi prorsus conformis est, cum, si dicitur, e. g. hic homo habet bonum vel malum spiritum, vel spiritum militarem, sacerdotalem, mercantilem etc. nihil aliud exprimatur, quam interior animi dispositio, intellectus, voluntatis et appetitus sensitivi, qua quis circa materiam certam vel etiam generatim in omnibus recte vel male se habet, ita ut habitus interior etiam in vita exteriori se manifestare facile soleat.

Jam quinam modus certus et constans sit, quo Ordo aliquis religiosus, imo omnis societas ex sua indole cogitat, vult et sentit, id sane optime illustratur ex declaratione ipsius indolis, quae ex causis ejus et proprietatibus perspicitur.

Cognito spiritu totius Societatis etiam cognitus est spiritus, quo singula membra imbui debent, si genuini Socii Jesu et filii S. Ignatii esse velint; nemo enim verus Socius Jesu esse potest, qui non eo modo cogitat, vult et sentit, qui conformis est naturae proprietatibusque Societatis, quibus haec ab omnibus aliis Ordinibus differt.

Antequam tamen de iis agatur, quae Societati Jesu propria sunt, juvabit introductionis gratia illa considerare, quae ei cum reliquis Ordinibus sunt communia.

PRODROMUS.

DE ILLIS, QUAE SOCIETATI JESU CUM ALIIS RELIGIOSIS ORDINIBUS SUNT COMMUNIA.

CAPUT I.

Societas Jesu est status perfectionis altioris acquirendae.

Declarationes: 1) *Perfectio Christiana* ex complexu omnium virtutum Christianarum resultat; ejus *essentia* vero est gradus infimus gratiae sanctificantis et caritatis erga Deum infusae.

2) *Status perfectionis* est stabilis vitae conditio, qua quis perfectioni est deditus. Status perfectionis duplex est:

a) Christianorum communium, qui vi conditionis vitae suae *praecepta* Religionis Christianae servare student;

b) illorum, qui praeter praecepta etiam *consilia* Christi se observare velle profitentur, praesertim consilia paupertatis, castitatis et obedientiae, quibus perfectio altior partim continetur partim promovetur. Hic status perfectionis altioris item duplex est:

α) Status perfectionis altioris jam *acquisitae et communicandae;* hic est status pastorum Eccle-

siae, praesertim Episcoporum, cum munus oves Christi in perfectione acquirenda dirigendi bene exerceri nequeat nisi ab illis, qui ipsi jam gradum quendam altiorem perfectionis assecuti sunt.

β) Status perfectionis altioris *acquirendae;* hic est illorum stabilis vitae conditio, quae ex sese non exigit, ut perfectio altior jam sit acquisita, sed quae solum studium perfectionis altioris serium et constans requirit.

3) Status perfectionis altioris acquirendae tum cum vita solitaria seu eremitica, tum cum sociali vita conciliari potest.

a) Societas, cujus membra in studium constans perfectionis altioris acquirendae, Ecclesia (negative vel positive) approbante, incumbunt, vocatur *Congregatio* vel *Societas religiosa* vel etiam *Religio,* sive vota religiosa non emittuntur ut e. g. in Oratorio S. Philippi Nerii, sive pro aliquibus annis emittuntur, sive vota sunt perpetua quidem, sed non solemnia.

b) *Ordo religiosus in stricto sensu* est societas religiosa stabilis, ab Ecclesia positive approbata, cujus finis est perfectio altior per vota perpetua paupertatis, castitatis et obedientiae acquirenda, et ita quidem, ut haec vota sive ab omnibus, sive a parte saltem membrorum emittenda sint solemnia.

Cum autem perfectio altior diversis viis et modis acquiri possit, finis Congregationibus et Ordinibus religiosis generice communis in singu-

lis diversus esse et varias species induere potest (qua de re plura dicentur infra declar. ante cap. V.).

ARTICULUS I.

Societas Jesu, quatenus est status perfectionis altioris acquirendae, vitae conditionem praebet praestantissimam.

Illa vitae conditio est per se aliis praestantior, qua, qui illam profitentur, praestantiori bono se totos et perpetuo devovent. Jam nemo praestantiori bono se totum devovere potest, quam illi, qui studio perfectionis Christianae eique altiori statum religiosum amplectendo se tradunt, cum qui huic perfectioni student eo ipso Deo infinito et gloriae Dei externae magis promovendae se devoveant. Deum autem infinitum esse summum et praestantissimum omnium bonorum demonstratione non eget; gloriam Dei externam vero inter bona omnia finita praestantissimum esse facile ostendi potest:

a) Gloria Dei externa est manifestatio et expressio perfectionis Dei internae per creata; est igitur bonum externum ipsius Dei, Entis infiniti, omnia alia autem bona finita, seu omnia creata sub alio respectu considerata sunt bona entium finitorum.

b) Gloria Dei externa est finis ultimus omnium rerum (formalis), quo omnes Deo fini (objectivo) absolute ultimo subordinantur; est igitur gloria Dei finis omnium finium finitorum, qui praeterea

ab homine intendi licite possunt; jam vero facile elucet bonum illud, quod inter bona finita est altissimus finis, esse bonum his omnibus reliquis praestantius.

Hanc gloriam externam revera per studium perfectionis altioris maxime promoveri, patet ex eo, quod omne virtutis exercitium gloriam Dei aut expresse aut implicite continet. Omni enim actu virtutis Deo nos subordinamus eumque Dominum supremum agnoscimus, saepe etiam singularia Dei attributa imitamur et eo ipso sive explicite sive implicite perfectiones divinas manifestamus et approbamus. Qui igitur totum se perfectioni altiori devovet, se bono praestantissimo inter bona finita, et per illud Deo ipsi bono infinito se totum tradit.

ARTICULUS II.

Societas Jesu, quatenus est status perfectionis altioris, praebet vitae conditionem felicissimam.

In hac lacrymarum valle illa conditio vitae felix merito dici debet, quae in possessione saltem imperfecta Dei, summi boni, consistit, qui solus est objectum beatitudinis, cum solus desiderio beatitudinis naturae rationali essentiali satisfacere possit. Imperfecta enim possessio Dei est inchoatio quaedam et praeparatio possessionis Dei perfectae in coelo obtinendae. Jam vero hanc beatitudinem imperfectam in statu perfectionis altioris acquirendae *in alto quodam gradu*

obtineri facile elucet ex eo, quod essentia hujus possessionis Dei per infimum gradum gratiae sanctificantis et caritatis erga Deum infusae obtinetur; studium autem perfectionis altioris ad gratiam sanctificantem et caritatem *augendam perpetuo tendit.* Ergo Societas Jesu, quatenus est status perfectionis altioris, non tantum felicem, sed felicissimam quandam vitae conditionem praebet, quantum in hac terra sperari potest. *Mala* quidem physica non excluduntur, attamen inter ipsos labores et dolores pax et gaudium bonae conscientiae nos delectat et recreat; mala autem moralia, quae gravia sunt, i. e. peccata mortalia, excludit eorumque pericula longius removet, peccata levia vero minuit; quare multas poenas temporales evitat, quae effectus peccatorum esse solent; multa etiam desideria rerum caducarum, quae tristitiam afferre solent, tollit vel temperat, ita ut melius in Dei amore profici, melius pro Deo laborari in eoque perfectior quies inveniri possit.

ARTICULUS III.

Societas Jesu, quatenus est status perfectionis altioris acquirendae, vitae conditionem pulcherrimam praebet.

Id ex eo elucet, quod status perfectionis altioris acquirendae est conditio vitae praestantissima, i. e. in se optima. Cum enim pulchrum sit „bonum in se, quod visum placet“, i. e. quod intellectu clare cognitum delectat vel delectare

potest, gradibus bonitatis in se gradus pulchritudinis respondent, ita ut praestantissimum quodque bonum etiam pulcherrimum sit; idque non solum coram oculis Dei et Angelorum, sed etiam, quoties cognitio clara non impeditur, coram oculis mentis nostrae.

Sane intellectui nostro vis non deest, qua, saepe saltem, clare perspicere possimus

1) pulcherrimam illam imaginem Dei, quam perfectio moralis ordinis naturalis et supernaturalis in se continet; nam

a) vita bona per gloriam Dei externam eamque formalem in ipsa contentam imitatur gloriam Dei internam, tum

α) quatenus, sicut Deus omnia sibi, ita Deo omnia subordinat et ad Deum refert, tum

β) quatenus diversis virtutibus diversa attributa Dei imitatur, tum

γ) quatenus viva expressio est ordinis essentialis mundi creati, cujus exemplar in divino intellectu fulget et cujus fundamentum ultimum est divina essentia.

Intellectus noster perspicit:

2) hanc imaginem Dei moralem praestantiorem et ideo pulchriorem esse, quam imaginem Dei naturalem, quae in anima spirituali hominis invenitur, cum haec in similitudine naturae spiritualis et immortalis animae cum natura Dei et in similitudine intellectus ac voluntatis cum intellectu ac voluntate divina consistat et ideo etiam

in inimicis Dei atque in damnatis insit, imago moralis vero solis Dei amicis et beatis propria sit et gloriam Dei longe excellentiorem contineat, quo fit, ut imago moralis in spirituali animae tela spirituali libertatis penicillo supra imaginis naturalis lineamentis formata ipsius complementum existat splendidissimum.

Intellectus noster perspicit:

3) in morali Dei imagine illas dotes inveniri, quas homo in rebus pulchris potissimum requirit, ut in bonitate in se illis conveniente et clare cognita delectetur; hae sunt: unitas in varietate, puritas, claritas, splendor, firmitas, ordo varius sive harmonia sive symmetria, vita, integritas, plenitudo τοῦ esse; in imagine enim morali Dei habetur:

a) unitas in varietate; et unitas quidem ex Deo uno fine objectivo absolute ultimo et una norma ultima moralitatis; varietas vero ex multitudine virtutum, quae diverso modo ad Deum referuntur, ita ut caritas Dei virtutum choro comitata sit quasi regina circumdata varietate;

b) puritas et claritas ex conscientiae candore, claritas etiam ex luce sapientiae practicae et prudentiae;

c) splendor ex igne amoris Dei, cujus radii in variis virtutibus vario colore fulgent;

d) firmitas ex firmitate habituum et invicta fortitudine;

e) ordo ex prudentia, quae omnibus virtutibus mensuram, locum et tempus assignat, omnes

harmonice inter se conciliat, mediorum cum finibus proportionem requirit; symmetria quaedam in aequalitate inter rem et rem in justitia commutativa servanda, proportio inter res et personas in justitia distributiva, harmonia partis inferioris cum superiore hominis in temperantia exercenda;

f) vita in exercitio ferventi virtutum, quod ideo vita bona vocatur;

g) integritas in exclusione mali moralis;

h) plenitudo τοῦ esse ex conjunctione cum Deo, qui est plenitudo τοῦ esse infiniti.

CAPUT II.

Societas Jesu est status perfectionis altioris per tria vota acquirendae.

Declaratio. Quomodo vota paupertatis, castitatis et obedientiae sint media praecipua perfectionis altioris acquirendae, S. Thomas (2. 2. q. 186. a. 7.) pulchre exponit his verbis: „Religionis status potest considerari tripliciter: *uno modo* secundum quod est quoddam exercitium tendendi ad perfectionem caritatis, *alio modo* secundum quod quietat animum humanum ab interioribus sollicitudinibus secundum illud 1. Cor. 7, 32: ‚Volo vos sine sollicitudine esse‘; *tertio modo* secundum quod est holocaustum, per quod aliquis totaliter se et sua offert Deo. Et secundum hoc ex tribus votis integratur religionis status.“ Inde tria puncta sponte se offerunt, cui quartum addemus.

ARTICULUS I.

Tria vota impedimenta praecipua perfectionis altioris removent.

„Primo (pergit S. Thomas ibid.) quantum ad exercitium perfectionis requiritur, quod aliquis a se removeat illa, per quae possit impediri, ne totaliter ejus affectus tendat in Deum, in quo consistit perfectio caritatis. Hujusmodi autem sunt tria:

a) Primum quidem cupiditas externorum bonorum, quae tollitur per votum paupertatis;

b) secundum est concupiscentia sensibilium delectationum, inter quas praecellunt delectationes venereae, quae excluduntur per votum continentiae;

c) tertium autem est inordinatio voluntatis humanae, quae excluditur per votum obedientiae."

ARTICULUS II.

Tria vota animum quietum reddunt.

„Similiter autem (S. Thomas ibid.) sollicitudinis saecularis inquietudo praecipue ingeritur homini circa tria:

a) primo quidem circa dispensationem exteriorum rerum, et haec sollicitudo per votum paupertatis homini aufertur;

b) secundo circa gubernationem uxoris et filiorum, quae amputatur per votum continentiae;

c) tertio circa dispositionem propriorum actuum, quae amputatur per votum obedientiae, quo aliquis se alterius dispositioni committit."

ARTICULUS III.

Per tria vota homo fit holocaustum.

„Similiter etiam (S. Thomas ibid.) holocaustum est, cum aliquis totum, quod habet, offert Deo, ut Gregorius dicit super Ezech. hom. 8. l. 2. § 16. Habet autem homo triplex bonum secundum Philosophum in 1. Ethic. c. 8. circ. princ.:

a) primo quidem exteriorum rerum, quas quidem totaliter aliquis Deo offert per votum voluntariae paupertatis;

b) secundum autem bonum proprii corporis, quod aliquis praecipue offert Deo per votum continentiae, quo abrenuntiat maximis delectationibus corporis;

c) tertium autem bonum est animae, quo aliquis totaliter offert Deo propriam voluntatem, per quam homo utitur omnibus potentiis et habitibus animae.

Et ideo convenienter ex tribus votis status religiosus integratur.“

ARTICULUS IV.

Cum tribus votis aliquo modo cohaerent reliqua, quae in statu religioso fiunt.

„Dicendum (S. Thomas ibid. ad 2.), quod omnes aliae religionum observantiae ordinantur ad praedicta tria principalia vota. Nam si qua sunt instituta in religionibus:

a) ad procurandum victum, puta labor, mendicitas vel alia hujusmodi, referuntur ad paupertatem, ad cujus conservationem religiosi per hos modos victum suum procurant;

b) alia vero, quibus corpus maceratur, sicut vigiliae, jejunia et si qua sunt ejusmodi, directe ordinantur ad votum continentiae observandum;

c) si qua vero in Religionibus instituta sunt pertinentia ad humanos actus, quibus aliquis ordinatur ad Religionis finem, scilicet ad dilectionem Dei et proximi, puta lectio, oratio, visitatio infirmorum vel si aliquid aliud hujusmodi, comprehenduntur sub voto obedientiae, quod pertinet ad voluntatem, quae secundum dispositionem alterius suos actus ordinat ad finem."

CAPUT III.

Societas Jesu est ab Ecclesia positive approbata.

Declaratio. Approbatio negativa Congregationis alicujus religiosae in eo consistit, quod Ecclesia eam non prohibet; approbatio positiva vero est quaedam ejus commendatio clare expressa. Approbatio positiva est aut speculativa aut practica:

1) *speculativa* est judicium publicum et authenticum, quo certum institutum sanctum esse universae Ecclesiae declaratur. „De hac approbatione," ait Suarez (de religione tr. 7. l. 2. c. 15. n. 13), „maxime loquuntur doctores, cum dicunt,

non posse errare Pontificem, Religionem aliquam approbando, i. e. authentice declarando, illum esse honestum et sanctum vivendi modum et viam convenientem ad perfectionem acquirendam; nam error perniciosus esset Ecclesiae in materia morum." Approbatio altera est

2) „*practica,* per quam datur tali congregationi vel Praelatis ejus potestas acceptandi et recipiendi in Christi nomine et in vero statu religioso constituendi illos, qui vitam illam profiteri voluerint" (Suarez, ibid. n. 18.).

ARTICULUS I.

Approbatio speculativa Societatis magnum solatium praebet.

Praeter vota religiosa in societate qualibet religiosa alia adhibentur subsidia et multa praescribuntur, in quibus homines errare possunt; per approbationem autem speculativam omne dubium excluditur et securitas oritur, statum aliquem esse genuinam perfectionis altioris viam. Talis approbatio Societatis Jesu in pluribus Bullis Summorum Pontificum continetur, qui ei magnam laudem tribuunt; ita, e. g. Julius III. declaravit, „nihil, quod pium sanctumque non sit, in dicta Societate ejusque laudabilibus institutis inveniri". Et Concilium Tridentinum vocat Societatem „pium institutum a Sancta Sede Apostolica approbatum" (ss. 25. c. 16.).

ARTICULUS II.

Approbatio practica Societatis ostendit ejus originem fuisse opportunam.

Societatis originem fuisse spectatis temporibus et locis opportunam et utilem in Bullis Pontificum explicite declaratur. Ita e. g. Gregorius XIII. in Bulla „Quanto fructuosius“ ait: „Spiritus Sanctus . . . media etiam praeclara maximeque opportuna hujus Sedis ministerio eis tribuit“; et in Bulla „Ascendente“ dicit: „Cum divina Providentia pro temporum necessitate varia et salutaria Ordinum instituta in Ecclesia sua produxerit novisque subinde in ea nascentibus morbis nova remedia novisque emergentibus hostium impugnationibus nova Regularium Ordinum auxilia excitaverit“ etc.

Sed non tantum Societas antiqua, etiam *recens* temporum respectu potissimum habito instituta est, ut Constitutio Pii VII. „Sollicitudo Ecclesiarum“ ostendit, ubi inter alia dicit:

„Gravissimi enim criminis in conspectu Dei reos nos esse crederemus, si in tantis reipublicae necessitatibus ea salutaria auxilia adhibere negligeremus, quae singulari Providentia Deus nobis suppeditat, et si nos in Petri navicula assiduis turbinibus agitata et concussa collocati *expertos et validos,* qui se nobis offerunt, *remiges* ad frangendos pelagi naufragium Nobis et exitium quovis momento minitantis fluctus respueremus.“

ARTICULUS III.

Approbatio practica Societatem corpori Ecclesiae inseruit.

Approbatio practica non solum efficit, ut Ordo religiosus status ecclesiasticus evadat et membrum fiat corporis Ecclesiae, sed etiam Superioribus potestatem tribuit a Vicario Christi communicatam vota subditorum, qui vovendo se ex sua parte Deo Societatique absolute tradunt, nomine Dei acceptandi (sive conditionate in emissione votorum simplicium Societatis, sive absolute in professione votorum solemnium), ita ut vere Religiosi et membra Societatis fiant. Quantae gratiae Deo habendae sunt pro his beneficiis!

De spiritu Societati Jesu proprio.

Cum cognitio omnium rerum perfectior, quae scientia dicitur, sit cognitio ex causis, cognitio quoque Societatis Jesu ejusque spiritus perfectior ex consideratione causarum ipsi propriarum acquiritur.

Quare in priori opusculi parte *de causis Societatis* agemus, in posteriori vero parte ex illis deducemus, quae sint *notae Societatis propriae seu proprietates.*

* * *

Ad S. Patrem Ignatium.

„Per illam sapientiam et divinam lucem, qua Deus Te illustravit et ideam hujus Religionis normamque Instituti ac vitae adeo sanctae Tibi ostendit, precor, Pater amantissime! ut mihi et filiis Tuis obtineas a Patre luminum lucem mentis, *ut divinum splendorem hujus Instituti intueamur, illud amemus et compleamus.*“ (P. Ribadeneira in Oratione, quae incipit: „O Pater dulcissime!“)

PARS PRIOR.

DE CAUSIS SOCIETATIS JESU.

Causae rerum ad has reduci solent: ad causam efficientem (cum causa exemplari), ad causam materialem, formalem et finalem.

Si de causis alicujus societatis agitur, incipiendum est a consideratione causae finalis. Cum enim societas quaelibet sit „unio moralis plurium ad unum finem consequendum (certis mediis secundum certas normas) cooperantium", facile elucet, indolem alicui societati propriam et differentiam specificam, qua ab aliis ejusdem generis differt, a fine pendere et ita quidem, ut reliquae causae et omnia media fini accommodari debeant [1].

Quare initio de fine, dein de causa efficiente (cum exemplari), tum de materia et forma Societatis, denique de structura corporis ejus his causis conformi agemus.

---

[1] De societate in genere videri possunt „Institutiones Ethicae et Juris naturae" auctoris hujus opusculi et alia opera, quae de Philosophia morali agunt.

SECTIO I.

De causa finali Societatis Jesu.

Finis generatim est bonum in se, quod est terminus alicujus intentionis vel tendentiae, seu bonum in se, propter quod aliquid fit vel est. Quatenus vero bonum in se, propter quod aliquid fit vel est, in existentiam et indolem illius, quod fit vel est, influit, causa finalis ipsius dicitur.

CAPUT IV.

Finis Societatis Jesu est gloria Dei externa tum intensive tum extensive major.

Declaratio. Gloria Dei externa (cf. cap. I. art. I.) potest esse major duplici ratione:

a) *intensive major,* si altiorem gradum internae perfectionis habet, qui a majori praestantia virtutis, quae exercetur, et a modo excellentiori, quo opus aliquod fit, dependet. Ita, e. g. gloria Dei intensive major inest, ceteris paribus, in actu amoris Dei quam in actu temperantiae, in opere difficiliori quam in faciliori, in agendi modo ferventiori quam in remissiori etc.;

b) *extensive major* est gloria Dei, si major est multitudo operum bonorum et eorum varietas, vel si opus aliquod efficit, ut plures homines vel diversorum statuum vel incolae plurium regionum Deum laudent eique serviant.

ARTICULUS I.

Finis Societatis Jesu est gloria Dei intensive major.

1) Cum omnes Congregationes et Ordines religiosi sint status perfectionis altioris acquirendae (cf. cap. I.), finis omnium generice communis est gloria Dei externa eaque intensive saltem major (cf. ibid. art. I.); sed non omnes perfectionem altiorem, ad quam assequendam tendunt, *tam expresse seu explicite sub eo respectu* sibi suisque membris proponunt, quatenus in illa gloria Dei intensive major continetur, sicut Societas Jesu, quae clare profitetur se omnia „ad majorem Dei gloriam" dirigere. Hoc adagio, hac veluti tessera S. Ignatius et Societas, quamvis per illud potissimum gloria Dei extensive major procuranda proponatur, nihilominus simul

a) pectora filiorum suorum ad altiora elevare conatur,

b) intentionem eorum tum quoad vocationem universam tum quoad actus singulos puram rectamque reddere studet,

c) efficere desiderat, ut amore puro magis quam spe vel timore moti Deo serviant.

2) Omnia, quae infra de sublimitate perfectionis dicentur, ad quam desiderandam et assequendam Societas alumnos suos invitat, ostendunt simul, finem Societatis esse gloriam Dei intensive majorem. Interim sufficiat mentionem facere perfectionis in Regulis Summarii, praesertim in 8. 11. 12. 15. 16. 18. expressae.

ARTICULUS II.

Finis Societatis Jesu est gloria Dei etiam extensive major.

Finem Societatis esse gloriam Dei extensive majorem significat, Societatem gloriam Deo a se suisque membris conferendam non esse ad certos actus et modos restrictam. Id Achilles Gagliardi S. J. in opusculo „de cognitione plena Instituti“ ita declarat (pars I. p. 14.):

Ordines religiosi duobus modis ad majorem Dei gloriam tendere possunt: „*Uno modo*, certo quodam vivendi genere ac statu determinato ad aliquod opus particulare, e. g. ad hospitalitatem, solitudinem, asperitatem vitae, honoris contemptum, doctrinam, divinum cultum, contemplationem et similia id generis. *Altero*, ut ad nullum certum genus coarctetur vel determinetur, sed latissime patens ad omne opus bonum se extendat, quale est salus et perfectio propria et omnium aliorum. Inter hos autem modos hoc differt, quod priori divina gloria, ut dicitur, determinatur et quasi coarctatur ad illud opus, cum in illo et per illud tantum, relictis reliquis, quaeratur, posteriori vero tota assumitur illimitata et indeterminata, scilicet quocunque operis ac virtutis genere et modo, quo haberi potest.“ Gloriam Dei tam amplam, i. e. extensive majorem Societas sibi finem constituit. O quam excellens est hic finis, quam latus simul et sublimis! et quam latum pectus requirit!

ARTICULUS III.

Gloria Dei externa tum intensive tum extensive major est mensura totius Societatis ejusque Instituti.

Omnis finis socialis alicui societati proprius est hujus mensura, cum certe fini sociali media, modus cooperandi, leges, indoles membrorum accommodari debeant, non vice versa finis mediis, modo cooperandi prius statuto etc. Ergo etiam finis Societati proprius est mensura ipsius et totius Instituti. Ergo gloria Dei externa tum intensive tum extensive major, quae est ejus finis (cf. art. I. et II.), est mensura totius Societatis ejusque Instituti. Inde sequitur:

a) in Societate nullum medium perfectionis propriae vel alienae a priori excludi, antequam constet, utrum minus vel magis ad gloriam Dei conferre possit; sequitur

b) media *multa et varia et flexibilia* in Societate adhiberi, quibus gloria Dei pro diversis adjunctis hominum, temporum et locorum aliter atque aliter promoveatur; sequitur

c) tum Societatem tum singulos, quod usum variorum mediorum attinet, *indifferentes* esse oportere, antequam constet, quid magis ad Dei gloriam conferre videatur vel conferat, quod autem ipsum finem spectat, *animum firmum et ardentem fovendum* esse, quo ad gloriam Dei tum intensive tum extensive majorem promovendam feratur.

CAPUT V.

Finis Societatis Jesu est major Dei gloria per vitam contemplativam simul et activam promovenda.

Declaratio. Tres Ordinum religiosorum classes distingui possunt:

1) Ordines religiosi, qui *„vitam contemplativam“* solam amplectuntur, ut Monachi spectata saltem eorum primaeva institutione; e. g. Basiliani, Benedictini, Cistercienses, Camaldulenses, Carthusiani.

2) Ordines religiosi, qui *„vitam activam“* solam sibi agendam proponunt et quidem exercendo varia opera caritatis erga proximum ad temporalem inopiam et indigentiam sublevandam; e. g. Fratres misericordiae infirmis ministrantes, illi qui redimendis captivis olim operam dederunt, Ordines militares etc.

3) Ordines religiosi, qui vitam contemplativam simul et activam profitentur, et ita quidem, ut opera vitae activae potissimum ad salutem et perfectionem aliorum procurandam dirigantur. Haec *„vita mixta“* varios modos et gradus admittit, ut elucet, si Ordines hujus classis considerentur, qui sunt, e. g. Mendicantes monachi: Franciscani, Capucini et Dominicani; Carmelitae; Canonici regulares aliique Clerici regulares.

Haec divisio non ita intelligenda est, ut statuatur, Ordines vitae contemplativae ab omni exercitio vel opere externo abstinere, Ordines

vero vitae activae non contemplari, et solam tertiam classem opera utriusque vitae conjungere; sed ita ut intelligatur,

a) primam classem contemplationem ideo tantum per labores externos interrumpere, sive domestici sint sive rustici, quod humanas vires superet contemplationi perpetuo vacare, et quod corpori sustentando in hac mortali vita necessario serviendum sit; — ut intelligatur

b) alteram classem etiam opera vitae contemplativae exercere, cum sine illis exercitia externa caritatis religiose exerceri nequeant nec cum studio perfectionis propriae apte concilientur; — ut intelligatur

c) solam tertiam classem utramque vitam finem status habere, neque actionem tantum propter contemplationem sicut primam nec contemplationem tantum ad actionem dirigere sicut secundam classem, sed opera utriusque vitae propter se intendere et exercere.

Cum hac Ordinum divisione, si rem spectes, illa convenit, quae a S. Thoma traditur (2. 2. q. 188.), ubi distinguit S. Doctor Ordines vitae contemplativae et Ordines vitae activae deditos; hos vero posteriores subdividit, prout „opus vitae activae est duplex; unum quidem, quod ex plenitudine contemplationis derivatur, sicut doctrina et praedicatio... Aliud autem opus est activae vitae, quod totaliter consistit in occupatione exteriori“. Unde elucet nominis tantum discrimen esse, si priorem

modum vitae activae cum Suarez aliisque vitam mixtam, alteram vero mere activam vocamus.

ARTICULUS I.

Societas vitam contemplativam magno cum studio in se promotam simul cum vita activa amplissime exercenda complectitur. (Cf. Suarez, De Relig. Soc. l. 1. c. 6.)

Societatem *magno cum studio* amplecti

1) *vitam contemplativam,* elucet:

a) ex probatione longa suorum alumnorum seu ex biennio tirocinii et anno tertiae probationis;

b) ex probatione latius dicta, quae durat usque ad ultima vota post multos annos (10—17 et interdum ultra) emittenda protracta;

c) ex exercitiis spiritualibus S. Ignatii bis in vita per integrum mensem instituendis;

d) ex octiduo exercitiorum omni anno faciendo;

e) ex triduo ante renovationem votorum bis in anno peragendo;

f) ex meditatione quotidiana per horam instituenda;

g) ex examine conscientiae bis quotidie faciendo;

h) ex aliis devotionis operibus quotidianis, qualia sunt Sacrum, Corona B. V., Litaniae vespertinae, Visitationes SS. Sacramenti;

i) ex lectione spirituali quotidiana;

l) ex exhortationibus domesticis;

m) ex poenitentiis variis libere suscipiendis;

n) ex frequenti receptione Sacramenti poenitentiae et S. Communionis.

2) *Amplitudo vitae activae* demonstratione minus indiget, cum notissimum sit:

a) in Societate nullum ministerium in salutem et perfectionem hominum directum excludi antequam constet, illud pro adjunctis vel etiam per se minus ad gloriam Dei promovendam conferre. A S. Ignatio enim in formula Instituti a Paulo III. in Bulla „Regiminis militantis" et in illa aucta a Julio III. in Bulla „Exposcit" approbata „Societas ad hoc potissimum instituta" dicitur, „ut ad fidei defensionem et propagationem et profectum animarum in vita et doctrina Christiana per publicas praedicationes, lectiones et *aliud quodcunque* verbi Dei ministerium ac spiritualia exercitia, puerorum ac rudium in Christianismo institutionem, Christifidelium in Confessionibus audiendis ac ceteris Sacramentis administrandis spiritualem consolationem praecipue intendant, nihilominus ad dissidentium reconciliationem et eorum, qui in carceribus vel in hospitalibus inveniuntur, piam subventionem ac ministerium et *reliqua caritatis opera, prout ad Dei gloriam et commune bonum visum erit, exsequenda*";

b) Societatem nullam terram et nullum hominum statum per se excludere a suis laboribus, sed tantum, si constat occupationem cum certis hominibus vel in certo loco minus ad Dei gloriam conferre, ut plerumque accidit, e. g. in cura ordi-

naria Monialium (De hac cf. Const. 6. P. c. 3. n. 5. et Congr. 7. d. 56.); inde vero non sequitur, in particularibus casibus a Praeposito generali dispensari non posse, si in illis majora bona non impediantur.

ARTICULUS II.

Vita contemplativa magnum pretium habet.

Haec vita eximia est, cum sit quaedam praeparatio et inchoatio contemplationis beatorum in coelo; nam vita contemplativa consistit (formaliter) in contemplatione divinae veritatis et potissimum ad amorem Dei fovendum dirigitur, quamvis homo ad veritatem divinam contemplandam aliis actibus quodammodo ascendat, e. g. audiendo, legendo, orando, meditando, et quamvis etiam consideratione effectuum a Deo productorum et virtutibus moralibus ad contemplationem se disponere debeat; quare S. Thomas (2. 2. q. 180. a. 1—4.) merito docet, etiam actus, quibus cum veritatibus in se Deum non respicientibus nos occupamus, et virtutes morales ad vitam contemplativam (dispositive) pertinere posse.

ARTICULUS III.

Vita activa in salutem et perfectionem aliorum directa vitae contemplativae perfectionem auget.

Ad vitam contemplativam, quae potissimum ad caritatem erga Deum dirigitur, per vitam activam salutem et perfectionem aliorum pro-

moventem eximia opera adduntur caritatis erga proximos, „quae ex plenitudine contemplationis“ derivantur; ita ut Societas vitam hanc activam magna cum amplitudine amplectens ad illos Ordines pertineat, quae secundum S. Thomam sunt reliquis perfectiores; ait enim S. Doctor (2. 2. q. 188. a. 6.): „Sicut enim majus est illuminare quam lucere solum, ita majus est contemplata aliis tradere quam solum contemplari. . . Sic ergo summum gradum in Religionibus tenent, quae ordinantur ad docendum et praedicandum, quae et propinquissimae sunt perfectioni Episcoporum“ (quos in decl. ante I. cap. in statu perfectionis acquisitae et communicandae esse diximus n. 2 b. α). . . „Secundum autem gradum tenent illae, quae ordinantur ad contemplationem“ (solam). „Tertius est earum, quae occupantur circa operationes exteriores“ (cf. decl. initio huj. cap.).

CAPUT VI.

Vita mixta Societati Jesu propria ejusmodi est, ut studium salutis et perfectionis alienae cum studio perfectionis propriae non secundario tantum, sed aeque primario et principaliter conjungatur, et ita quidem, ut hi duo fines proximi in unum concrescant.

Declaratio. Ordines, qui vitam mixtam amplectuntur, vitam activam vario modo et in diversa extensione cum vita contemplativa conjungunt. Plerique tamen id faciunt ita, ut vita contemplativa praecipuum locum obtineat, studium

vero salutis et perfectionis alienae *solum secundario* admisceatur, quantum tempus longum contemplationi, cantui in choro etc. attribuendum id permittat et quantum cum vita in exterioribus austera conciliari posse videatur; horum Ordinum membra secundum spiritum vocationis suae agunt, si, ut liberius et melius contemplativae vitae se devoveant, minus ministeriis apostolicis se addicant, quam occasio se offert; iidem etiam speciali dispensatione indigent, si exercitia sua monastica ob labores ampliores ad salutem aliorum promovendam intermittere desiderant. Hi ordines etiam solent labores suos apostolicos ad certum ministerii genus, reliquis exclusis, restringere. — Non ita Societas Jesu.

ARTICULUS I.

Societas Jesu studium salutis et perfectionis alienae non secundario tantum cum studio perfectionis propriae conjungit, sed ut finem proximum aeque primarium seu principalem intendit.

Id elucet ex eo, quod Societas gloriam Dei finem remotiorem habet, prout est non solum intensive, sed etiam *extensive major* (cf. cap. IV.), et ex dictis de vita activa ad salutem perfectionemque aliorum directa *amplissime* exercenda (cf. cap. V. art. I.). Hi duo autem fines ut aeque primarii et principales conjungi nequeunt, nisi vita contemplativa indolem singularem Apostolis accommodatam induat, ita ut

a) modus exercendi opera vitae contemplativae sit *flexibilis* et *diversissimis adjunctis accommodari possit;* quare Societas

b) choro abstinet et corporis cruciatus ex obligatione suscipiendos (praeter jejunia ecclesiastica omnibus praescripta) suis membris non imponit; sed

c) in victu, vestitu et ceteris exterioribus *communem morem Sacerdotum saecularium* sequitur, et

d) per opera vitae contemplativae *virtutes apostolicas* in suis filiis nutrire studet, non vero ascesin Eremitis vel Monachis accommodatam (cf. Suarez, de Rel. Soc. l. 1. c. 6.).

ARTICULUS II.

Studium perfectionis propriae et salutis perfectionisque alienae in Societate in unum concrescere debent.

Difficile videri potest, Societatem finem proximum duplicem habere posse, quorum alter alteri coordinatus, non subordinatus sit, quin alter alterum impediat, idque eo magis, quod vita activa mentem distrahit, contemplativa vero, quae directe perfectioni propriae potissimum inservit, dulcedine sua ita allicit, ut quis vitae activae labores sibi fugiendos esse facile existimet. Haec difficultas ex parte solvitur per singularem gratiam vocationis, quae singulis Ordinibus ad ardua secundum spiritum sui Instituti superanda a Deo confertur, ex parte vero inde removetur, quod uterque finis in unum quodammodo concrescit.

Recte Suarez (in suo eximio opere de Religione Societatis Jesu l. 1. c. 2. n. 5.) ait:

„Ita vero sumendus est finis (perfectionis aliorum promovendae), ut ab alio, scilicet perfectionis propriae acquirendae non separetur, sed sit quasi determinatio ejus vel potius mutuo se determinent et ita ex eis confletur *unus adaequatus et perfectissimus finis* talis Religionis.“ Quae ut melius intelligantur, haec advertenda sunt:

a) Si studium perfectionis propriae (cui directe contemplativa vita potissimum inservit) in abstracto spectetur, est finis genericus Societati simul et reliquis Ordinibus communis per differentiam quandam specificam et individualem determinandus; jam si Societas consideratur, differentia specifica est „vita mixta“, individualis vero vitam activam in salutem perfectionemque aliorum directam esse amplissimam et non tantum secundario contemplativae admixtam. Si igitur hac ratione studium perfectionis propriae in abstracto consideretur, ab eo non determinatur studium salutis perfectionisque alienae, cum genus non determinet differentiam, a qua ipsum determinatur. Quae igitur Suarez dicit, non valent de studio perfectionis propriae in abstracto spectato.

b) Si vero studium perfectionis propriae et alienae *in concreto* in vita practica spectentur, revera in Societate se mutuo determinant, cum Societas alteram alteri accommodet. „Ita enim (pergit Suarez ibid. n. 10.) quaerit suorum socio-

rum perfectionem, ut *totam illam mediaque, quibus comparatur, velit deservire perfectioni proximorum...* Ex omnibus autem illis (mediis perfectionis propriae) illud accipit Societas, quod ad propriam sufficiat et *labores circa animarum salutem procurandam non impediat,* sed potius, quoad fieri possit, ad illos *juvet.*" Ex altera vero parte Societas etiam curam amplissimam salutis perfectionisque aliorum ita moderatur, ut propria sociorum perfectio non impediatur, sed potius juvetur.

ARTICULUS III.

Inde sequitur, ascesin Societatis singularem indolem habere.

Ut studium perfectionis propriae et alienae in unum concrescere possint, requiritur:

a) ut Societas quoad exercitium virtutum valde sit *flexibilis,* nec multas praxes determinatas omnibus praescribat, sed

b) ut nos doceat id in qualibet virtute potissimum spectare, quod in ea essentiale (et formale), non quod accidentale (et materiale) est; et

c) praxes certas, praesertim exteriores pro diversis adjunctis mutandas, omittendas, temperandas, augendas vel minuendas relinquat, ut facilius vita activa eaque amplissima cum vita contemplativa apte concilietur et ut neque perfectio propria neque aliena salus vel perfectio detrimentum patiatur, sed magis promoveatur (cf. de his Gagliardi de cogn. plena Instituti p. I. § V.); attamen

d) hac in re non omnia singulorum prudentiae committi possunt, cum facilis sit deceptio et error; sed Superiorum et Confessarii est suo consilio et imperio subditos juvare; sane quo pauciora ipsae leges Ordinis determinant et quo latior simul est ejus finis ac ministeriorum multitudo et varietas, eo plura per Superiores ordinanda sunt. Inde etiam elucet,

e) cur obedientia sit praecipue virtus Societatis.

Jam vero haec indoles ascesis est singularis, cum in aliis Ordinibus multo plures praxes virtutum exteriores sint praescriptae, nec tanta flexibilitas virtutum, nec tanta extensio obedientiae haberi soleat.

CAPUT VII.

Societas Jesu est Ordo apostolicus; quare non est Ordo Monachorum, sed Ordo Clericorum Regularium, ita tamen, ut etiam ab aliis Clericorum Ordinibus plurimum differat.

Declaratio. Omnes Ordines Religiosi spiritui perverso hujus mundi opponuntur, qui est concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum (desiderium divitiarum) et superbia vitae. At haec oppositio est in diversis Ordinibus diversa et ab aliis alio modo tota vivendi ratione exprimitur et manifestatur; quod non semper satis attendunt candidati, qui Societatem Jesu ingrediuntur. Cum tamen maximi prorsus momenti sit, ut id ab omnibus bene intelligatur alteque menti infigatur, caput de hac diversitate addimus, quamvis etiam jam ex prioribus capitibus eluceat.

ARTICULUS I.

Societas Jesu est Ordo apostolicus [1].

1) Supra ostendimus (initio partis I.) indolem omnis societatis ideoque etiam omnis Ordinis religiosi ex fine sibi proprio pendere. Ergo Societas est Ordo apostolicus, si habet finem apostolicum. Jam vero ita rem se habere facile ex prioribus capitibus elucet. Secundum haec enim: Finis Societati Jesu proprius est „gloria Dei externa tum intensive tum extensive major (finis remotior) per vitam mixtam ejusmodi promovenda, qua cum vita contemplativa magno studio colenda vita activa in salutem et perfectionem aliorum amplissime exercenda conjungatur, et ita quidem, ut studium perfectionis altioris propriae cum studio salutis et perfectionis aliorum quodammodo concrescat" (cf. cap. IV. V. VI.). Jam vero hic finis est evidenter apostolicus, cum idem sit, quem Apostoli Christi sibi propositum habebant et secundum quem vitam agebant.

Apostoli enim gloriam Dei maxime augere et propagare studebant; in hunc finem vitam mixtam prorsus similem agebant, ex una parte contemplationi, orationi aliisque pietatis operibus dediti, ex altera parte toti in salutem et per-

[1] Inde elucet *„Apostolatum orationis"* nostro tempore a S. Pontifice approbatum et propagatum nostris hominibus maxime convenire et aptissimum esse ad spiritum Societatis in nobis perpetuo fovendum.

fectionem aliorum intenti, nullo hominum genere, nullo ministerio pro adjunctis opportuno, nullo loco per se excluso; quare et in ipsis studium perfectionis propriae et salutis perfectionisque aliorum in unum quodammodo coalescebat vel concrescebat. Consentit Suarez (de Relig. Soc. l. 1. c. 7. n. 7.) dicens: „(Finis Societatis) idem est *cum fine Apostolici instituti* maximeque accedit ad finem adventus Christi in mundum".

2) Societas etiam dici potest Ordo apostolicus, quatenus speciali servitio Sedis Apostolicae instituta est, „ut (Suarez ibid. n. 5.) ex Bullis Pontificiis . . . manifeste constat. Unde etiam Clemens VIII. benigne alloquens Patres, qui ex universa Societate Romae congregati fuerant anno 1600, Societatem *brachium dexterum Sedis Apostolicae* appellare dignatus est", haud dubie in negotiis laboribusque apostolicis in salutem perfectionemque hominum suscipiendis.

3) Societas est Ordo apostolicus, quatenus *ad statum Episcoporum, qui sunt successores Apostolorum, proxime accedit,* „quantum ad id (ut ait Suarez ibid. n. 5.), unde habet, quod sit status perfectionis . . . quia Episcopi dicuntur praecipue esse in statu perfectionis, quia sunt in statu perfectionis communicandae et quia ad hoc obligantur ex officio, etiamsi oporteat pro ovibus dare animam suam et quia in illo munere firmitatem habent ex obligatione sui status; sed haec omnia participat excellenti modo Societas;

nam ex vi sui finis obligatur non solum ad perfectionem acquirendam, sed etiam exercendam et communicandam, et ex vi suorum votorum (quod illi proprium est) ad hoc obligatur non obstante quacunque difficultate, peregrinando per universum orbem, etiam mendicando, si opus sit, et pericula quaeque subeundo usque ad sanguinis effusionem, in quo munere habet etiam firmitatem ratione obligationis voti; ergo etiam ex hoc capite proxime accedit ad statum perfectionis Episcopatus. Differt autem, quia non principaliter, sed ministerialiter hoc munus sustinet" i. e. ministrando Episcopis et Sedi Apostolicae (cf. etiam Suarez l. 1. c. 2. n. 8.). — Nec obest, Ordines religiosos ex genere suo esse tantum status perfectionis acquirendae, non communicandae; quod enim ad genus non requiritur, ad speciem aliquam vel individuum pertinere potest, et facile patet eos, qui in schola perfectionis altioris versantur, posse, postquam aliquem gradum ejus consecuti sunt, aliis perfectionem communicare, quin ipsi desinant in eadem illa schola ulteriores progressus facere.

ARTICULUS II.

Societas Jesu non est Ordo Monachorum, sed Ordo Clericorum Regularium.

Declaratio. Antiqua est divisio Ordinum in Ordines Monachorum et Clericorum Regularium. Societatem Jesu ad hos, non ad illos pertinere elucet:

1) *ex Bullis* Summorum Pontificum, qui membra Societatis Clericos, Presbyteros, interdum etiam explicite Clericos Regulares vocant, ut e. g. Gregorius XIII., qui in Bulla: „Ex Sedis Apostolicae" ait: „Cum instituto Clericorum Regularium Societatis Jesu" etc. et Concilium Tridentinum, quod (ss. 25. c. 16.) Ordinem nostrum vocat „Religionem Clericorum Societatis Jesu". Nunquam autem Societas Ordo Monachorum vocatur, nec a Summis Pontificibus nec a S. Ignatio nec in ullo loco Instituti. Idem elucet

2) ex eo, quod Societas est Ordo apostolicus, Ordines Monachorum vero ex sua primaeva institutione vitam tantum contemplativam agunt et laicis constant; aut, si tempora posteriora spectentur, vitam activam in salutem proximorum ita adhibebant, ut contemplativa praevaleret. Quod ipsum etiam dicendum est de Monachis mendicantibus, ut Suarez testatur (de Rel. Soc. l. 1. c. 2. n. 13.), quamvis pars membrorum praecipua Sacerdotium suscipiat. — Quare:

3) Totus vivendi modus Societatis et Monachorum diversus est:

a) Monachi, cum aut unice aut primario contemplationi vacent, vitam ab hominibus *remotiorem* et in exterioribus *austeram* amplectuntur, cantui in choro plures horas tribuunt, multa jejunia adhibent totoque suo aspectu mundi contemptum praedicant. Societas vero, cum sit tota apostolica, medios inter homines vivit, vita in exterio-

ribus *communi* utitur, cantu in choro abstinet, jejunia alia praeter ecclesiastica (exceptâ vigiliâ S. Ignatii) suis membris non imponit nec alias corporis afflictiones praescribit, sed „eas quilibet assumere poterit, quae sibi videbuntur cum approbatione Superiorum convenire“ (4. Reg. Summ.). Quamvis enim media perfectionis plurima, quae Monachi adhibent, sint horum vocationi maxime convenientia atque in se sanctissima, ea tamen Societatem impedirent, ne se more apostolico variis hominum classibus diversorumque terrarum et temporum adjunctis accommodaret et *„omnibus omnia fieri“* posset, ut omnes Christo lucrifaceret.

b) *Vestitus Monachorum* singularis est, cum habitum certae formae cum cucullo vel scapulari certique coloris, asperum plerumque et horridum gestare teneantur. Societas vero nullam Ordinis vestem peculiarem habet; S. Ignatius enim in formula Instituti a Julio III. approbata dicit: „In iis, quae ad victum, *vestitum* et cetera exteriora pertinent, *honestorum Sacerdotum communem* et approbatum usum sequantur.“ Jam cum Congreg. V. decr. 58. declaraverit, omnia, quae in hac formula Instituti continentur, et quaedam alia esse substantialia, patet Societatem non habere vestem certam ex obligatione gestandam ad substantialia Instituti pertinere. In Constitutionibus vero (p. 6. c. 2. n. 15.) S. Pater ait: „In vestitus itidem ratione tria observentur: Primum, ut honestus ille sit, alterum, ut *ad usum loci,* in quo vi-

vitur, accommodatus, tertium, ut professioni paupertatis non repugnet". (De vest. v. plura in cap. VIII.)

c) Qui ingrediuntur Ordinem Monachorum, solemni caeremonia coram altari *veste monastica donantur*. In Societate vero, cum ei nulla vestis sit propria et peculiaris, *nulla ejusmodi caeremonia* adhibetur; imo novitii vestem illam retinere possunt, quam ex mundo secum attulerunt, ut S. Ignatius ipse dicit (Exam. c. 1. n. 13.) de tirocinio: „Horum medio tempore duorum annorum (in quo habitus ullus certus Societatis non sumitur)" etc., ad quem locum in decl. a S. Patre additur sub F: „Quamvis habitus nullus certus sit, discretioni tamen ejus, qui curam habet domus, relinquitur, an cum eisdem vestibus, quas ex saeculo tulerunt, incedere sint permittendi, an cum aliis eas permutari oporteat, aut cum deterentur, an aliae tribuantur, quae magis conveniant vel ipsis, ut, qua parte opus habent, juventur, vel domui, ut eorum opera uti possint." Qua de re scribit Lancitius (de praestantia Instituti c. 7.): „Ad Novitiatum admissi non necessario habent vestitum religiosum, sed saeculari uti possunt, ut olim utebantur nostri vivente S. Ignatio, ut P. Ludovicus Gonsalvius in diario scribit."

d) *Monachi Rosarium* idque magnum et longum e cingulo pendulum gestare solent; in Societate vero id nullibi praescriptum habetur, cum hic mos a more Sacerdotum saecularium prorsus abhorreat.

e) *Monachi tonsura magna* utuntur, aut crines abrasos in modum coronae aut alio modo singulari et usque ad cutem abscissos habent; nostri autem, cum S. Ignatius velit, ut praeter vestitum etiam *„in ceteris exterioribus“* communem usum honestorum Sacerdotum sequantur (cf. supra Form. Instit.), capillos minime Monachorum ritu abrasos vel usque ad cutem abscissos habere debent, nec etiam barbare perturbatos vel in coelum erectos, *sed honestorum Sacerdotum more decenter compositos et ordinatos gerunt,* sine studio nimis exquisito et sine interiori vanitatis affectu.

f) Monachi his aliisque diversis *signis externis contemptum mundi* eumque maximum prae se ferunt; Societas vero, quamvis suos non minori heroismo doceat mundum perversum conculcare (cf. Reg. 11. et 12), alia tamen hujus maximi contemptus signa edere ordinarie nos prohibet praeter *„modestiam religiosam“* in Regulis modestiae a S. Patre descriptam, quae sola „vestis Ordinis“ dicenda est. Cum autem vi finis Societatis universalis nostris cum omnibus hominum classibus agendum sit, Reg. mod. 11. singulare momentum accipit: „Omnes denique gestus et motus ejusmodi sint, qui apud *omnes* aedificationem pariant“, igitur non apud homines rusticos tantum, sed etiam apud nobiles. Nec quisquam negare merito potest, nobis mores paulo cultiores esse necessarios quam viris, qui a saeculo remoti contemplationi vacant aut in salutem tantum barbarorum vel rudium unice in-

cumbunt. Quare conandum est, ut cum contemptu interiori rerum mundanarum studium moderatum munditiei, morum cultiorum et urbanitatis conjungamus, ita tamen, ut simul parati simus, si necesse fuerit, ad nos etiam rudibus ac barbaris accommodandos.

g) Monachi *silentium* strictum vel strictissimum observant, quo in vita contemplativa juventur. Societas autem, quamvis silentium in domibus suis secundum exemplum S. Ignatii magni faciat, illud tamen cum magna moderatione adhibet et urget, quantum opera apostolica permittunt, quibus illud subordinat.

h) Monachi *conversationem cum hominibus fugere possunt neque cognitionem accuratam* rerum, quae in mundo fiunt, acquirere debent; at nostri, ut salutem hominum melius promoveant, hominum consortium saepe quaerere tenentur et media adhibere, quibus cognitio mundi acquiritur; quare nostri folia publica legere solent, cum moderatione tamen, ita ut graviora negotia detrimentum non patiantur; ideo etiam Scholasticos juri naturae et *quaestionibus socialibus temporis nostri* studere necesse est.

i) *Monachi clausurae legem* habent sub poena excommunicationis servandam. Societas quidem *ob magnum rei momentum* curat, ut domus sint clausae, et cavet, ne mulieres facile domos ingrediantur (secundum Constit. p. 3. c. 1. n. 14.); attamen clausurae sub excommunicatione ser-

vandae nullum vestigium in Instituto invenitur, cum ne nomen quidem „clausurae“ ullo in loco occurrat.

k) Monachi *certa nomina* statui monachali propria habent, e. g. se ipsos vocant „Fratres“ (Frati), cubicula „Cellas“, domos suas „Claustra“, „Monasteria“ appellant, quae voces habitationem clausam et a consortio hominum remotam indicant. Societas vero his nominibus, quae vitam monachalem sapiunt, abstinet secundum exemplum S. Ignatii, qui membra Societatis in Constitutionibus et examine nunquam „Fratres“ appellat[1], sed Professos, Coadjutores spirituales et temporales, Scholasticos et tirones; habitacula vero nostra Collegia, Domus professae, Domus probationis, Convictus, Residentiae, Missiones vocantur, nunquam Monasteria vel Claustra (Klöster), fortasse ideo, quod haec nomina illorum habitationi non conveniant, qui cohortis equitum instar parati esse debent ad excurrendum in mundum universum et quorum vocationis apostolicae est „diversa loca peragrare“ (Reg. 3.).

l) Monachi Ordinem ingredientes *nomen proprium* novum alicujus Sancti assumunt, omisso nomine, quod prius gesserunt; Societas vero contenta est mutatione spiritus interioris, nomine baptismatis et familiae singulis relicto.

[1] Inter nos tamen in conversatione ad fraternae caritatis vinculum significandum ii, qui non sunt sacerdotes, fratris nomine appellantur, quem morem ipsi Praepositi Generales in suis encyclicis literis adhibent.

ARTICULUS III.

Societas ab aliis Clericorum Regularium Ordinibus multum differt.

Societas ab aliis Clericorum Ordinibus differt:

1) *fine,* cum alii vitam activam non cum tanta amplitudine vitae contemplativae admiscere soleant, quanta Societas, e. g. Canonici Regulares vel Piaristae, qui pro solis scholis sunt fundati (nec etiam absolute repugnat, ut Ordo Clericorum vitam tantum contemplativam amplectatur, quamvis fortasse nunc talis Ordo non inveniatur);

2) *variis institutionibus,* e. g. Canonici Regulares obligationem chori habent, veste peculiari utuntur aliisque modis a Monachis minus dissimiles sunt quam Societas;

3) alii Ordines Clericorum plerumque „mendicantes" non sunt, Societas vero id etiam peculiare habet, ut ad Ordines mendicantes pertineat, quin sit Ordo Monachorum, cum Professi in domibus professis habitantes eleemosynis emendicatis sustentari et vi voti quarti parati esse debeant, ut sine viatico Missiones a Summo Pontifice imperatas subeant. Haec est ratio, cur Societas non solum privilegiorum Ordinum mendicantium facta fuerit particeps, sed etiam, cur Pius V. in Brevi „Cum indefessae" declaraverit, „illam et illius Praepositum et singulas personas Societatis hujusmodi vere et non ficte mendicantes *fuisse, esse* et *fore*".

Ceterum non est hujus loci singula recensere, quibus Societas ab omnibus Ordinibus Monachorum et Clericorum differt, cum hoc sit integri hujus opusculi negotium et munus [1]. Illud autem ex hactenus dictis patet, magni esse momenti discrimen essentiale clare perspicere, quod inter Societatem et reliquos Ordines intercedit, ut facilius spiritum Societatis proprium perpetuo ante oculos habere, ejus pulchritudine et sublimitate inflammari eoque, quod caput est, magis magisque imbui possimus.

CAPUT VIII.

De vestitu clericali Societatis.

In art. II. c. VII. vidimus ad substantialia Instituti pertinere, Societatem non habere vestitum sibi proprium, sed eandem, sicut in reliquis exterioribus, ita etiam in vestitu consuetudinem honestorum Sacerdotum illius regionis sequi, in qua vivit.

Jam sua sponte se offert objectio, Societatem ab hac lege substantiali deflexisse, cum paulatim usus propagatus sit veste peculiari utendi, quam in Hispania Sacerdotes saeculares gestant. Cum solutio hujus objectionis utilissima esse videatur ad spiritum Societatis accuratius perspiciendum, liceat eam altius repetere.

[1] Cf. Lancitium, qui (De praestantia Instituti l. 1. c. 7.) quinquaginta octo puncta enumerat, quibus Societas a reliquis Ordinibus fundationis illius tempore existentibus differebat.

ARTICULUS I.

Usus vestis hispanicae ab antiqua Societate introductus non repugnat legi alicui substantiali Instituti.

Lex substantialis supra (art. II. c. VII.) demonstrata duo puncta continet: 1) Societatem *non obligari* ad usum vestis peculiaris, quae sit „habitus Ordinis“ in stricto sensu, sicut alii Ordines religiosi habent, quibus non licet sine dispensatione habitum certi coloris certaeque formae deponere vel in alium commutare, et 2) Societati *adhibendum esse vestitum honestorum Sacerdotum* saecularium. Jam vero usus vestis hispanicae cum neutro puncto pugnat:

1) *Non pugnat hic usus cum puncto priori;* nam cum puncto: *„obligationem non haberi“* peculiari veste utendi pugnat solum: *„obligationem haberi“;* jam vero solus usus vestis peculiaris non necessario obligationem imponit illa utendi. Merito enim distinguunt doctores morales et juris periti inter consuetudinem obligatoriam et consuetudinem, quae nullam obligandi vim habet. Ostendi autem nullo modo potest Societatem per usum vestis peculiaris voluisse universalem obligationem imponere eandem semper adhibendi, sicut alii Ordines ad usum sui habitus obligantur. Sane:

a) Societas ejusmodi obligationem imponere noluit; nihil enim ex universo Instituto nihilque ex historia proferri potest, quo id demonstretur; imo

b) Societas neque potuit se per usum *solum* obligare; nam consuetudo nulla vim legis acquirere potest nisi per consensum saltem tacitum legislatoris; atqui in Societate Superiores legislatores non sunt, sed sola Congregatio generalis potestatem legiferam habet; ergo nulla unquam consuetudo etiam a Superioribus probata in Societate vim legis acquirere potest, nisi Congregatio generalis assentiat. Congregatio generalis autem nunquam intentionem habet, quidquam ex Constitutionibus S. Patris Ignatii per consensum tacitum mutandi, ut elucet ex dicendis infra cap. XXVIII. art. III; per decreta enim Congregationum maxime cautum est, ne in his ipsis Congregationibus Constitutiones S. Ignatii accidentales facile mutentur, de substantialibus vero abolendis ne tractare quidem licet (cf. ibid.); unde evidens est in jure Societatis multo minus consensum tacitum agnosci, quo consuetudo obligatoria sanciatur Constitutioni alicui substantiali opposita.

2) *Usus vestis hispanicae non pugnat cum puncto posteriori:* nam quamvis S. Ignatius praescribat, ut vestitus noster sit „ad usum loci, in quo vivitur, accommodatus“ (Constit. p. 6. c. 2. n. 15.), in declaratione tamen ab ipso ad hunc locum addita ait: „vel saltem quod omnino *non recedat*“, i. e. saltem omnino *similis* sit vestitui in eodem loco a Sacerdotibus saecularibus adhibito. Jam vero negari nequit vestem hispanicam similem esse vesti talari, qua Sacerdotes sae-

culares in aliis regionibus extra Hispaniam uti consueverunt.

Ergo usus vestis hispanicae non est consuetudo contra legem.

ARTICULUS II.

Usus vestis hispanicae quando et cur introductus fuerit.

1. Cum S. Ignatius et multi ex primis Patribus Hispani fuerint, facile patet, cur vestis Sacerdotum hispanica jam initio non raro a nostris fuerit adhibita, etiam in aliis regionibus, in quibus haec vestis a veste Sacerdotum saecularium non multum recedere videbatur. Sed primis temporibus nulla intentio mentibus inerat efficiendi, ut haec vestis ubique adhiberetur, multoque minus, ut vestis Societatis peculiaris evaderet. Hujusmodi intentionis *ne vestigium quidem* apparet neque in Constitutionibus S. Patris, neque in decretis primarum Congregationum generalium, neque in scriptis Patris Ribadeneira et Oliverii Manaraei, neque etiam postea in opere a Suarez († 1617.) composito: „De Religione Societatis“, neque in opusculo Lancitii († 1652.): „De praestantia Instituti“, quamvis hi auctores de veste agant, qua nostri ex mente S. Ignatii utuntur. Neque primo saeculo Societatis usus vestis hispanicae factus est communis, ut evidens est ex testimonio Danielis Bartoli († 1685.), historici Societatis. Hic enim vitam S. Ignatii edidit, cui praefigitur approbatio illius facta 8. Sept. 1659.

a Goswino Nickel Praeposito Generali, ubi contra scriptorem aliquem declarat, Societatem non uti veste a Theatinis accepta, sed neque vestem Ordini suo peculiarem habere, *neque veste hispanica in omni terra uti;* ubi autem hac Societas veste utatur, eam illa *tantum uti tanquam veste clericali,* quam libere deponere liceat et cum alia commutare. Id sane Bartoli post initium secundi saeculi Societatis scribere non potuisset, si jam saeculo primo usus vestis hispanicae communis fuisset. Addit praeterea nostros in terris gentilium et haereticorum saepe etiam omni habitu clericali abstinere, ut apud Sinenses, apud Indos et in regionibus septentrionalibus Europae [1].

---

[1] Operae pretium est locum integrum transcribere (Della vita e dell' istituto di S. Ignazio; libri cinque del P. Daniele Bartoli S. J., libro terzo, capo X.): *„La Compagnia non ha forma d' habito proprio e perchè.* — „Primieramente la Compagnia non ha forma di vestire determinato. Il che non saputo o non avvertito da certo Scrittore della vita di Paolo IV. l' indusse a dire, che il nostro abito fu preso da quello del suo Ordine" (Teatino). „Ciò che è si fattamente lontano dal vero, che appunto alcune cose particolari e proprie di vestir di quell' Ordine, la Compagnia non le usa. Perciochè, quanto al portare il collare alzato, il S. Fondatore, ch' era Spagnuolo, il prese dal vestir modesto de' Sacerdoti di Spagna: e la sopravesta, che gli studenti nostri usano, in vece di mantello, fu da lui assegnata ad imitazione degli scolari di Parigi, dov' egli studiò e dove mandò a studiare i primi giovani della Compagnia, e ve ne avea fin dall' anno 1541. *Non sono però ne l' una ne l' altra di queste fogge d' abito si*

Utrum temporibus posterioribus usus vestis hispanicae magis universalis fuerit quam tempore, quo Bartoli scribebat, ex libris historicis hactenus in lucem editis difficile erui posse videtur, cum nunquam terrae Missionum deessent, in quibus alia vestis adhibebatur, et in ipsa Europa quae-

---

proprie nostre, che si usino in ogni paese, e dove la ragione o l' uso de' luoghi il richiegga, non si possano *liberamente lasciare, e prenderne altre, come in fatti si prattica.* Noi vestiamo da Cherici, perchè Cherici siamo, e si altri così pur vuole, abbiamo abito proprio del nostro stato, cioè il *commune di Cherici.* Quanto al modo d' esso tre condizioni furono prescritte dal Santo: ‚Ut honestus sit', ut ‚ad usum loci, in quo vivitur, accommodatus' et ut ‚professioni paupertatis non repugnet'. Oltre a questa, ch' è ragione presa dal intrinseco, un' altra ve ne ha, che rende convenevolissimo il non aver noi altra forma di vestire più proprio e singolare. Questa è, chè avendo nel Settentrione gli Eretici messo in estrema abbominazione gli abiti antichi delle Religioni, ed essendo la Compagnia istituita anco per trattar (come di continuo fa) con gli Eretici, fu prudentissimo avvedimento il darle tal abito, che vedendolo non fuggisser da lei, come da una fiera selvaggia, coloro con cui, più che altro, il trattar dimestico giova per guadagnarli. Anzi dove fra Gentili è più credito il vestire abito da Letterato, qual portano nell' Imperio della Cina i Mandarini e nell' India i Bramani, si dipone il chericale, e quello, per qualche tempo, si prende; e dove in Provincie del tutto eretiche non si permette maniera di vestire, che senta punto dell' ecclesiastico, ci trasformiamo in personaggio, chi di mercante, chi di soldato, chi di servidore, chi di medico, chi d' artiere, e di qualunque altro simile torna più comodo al trattare senza sospetto coi Cattolici occulti."

dam septentrionales regiones, e. g. Anglia, non paterentur, ut nostri se pro lubitu vestirent.

2. Jam quaeritur, *cur in plerisque saltem Europae partibus* antiqua Societas veste hispanica uti consueverit, cum tamen secundum S. Ignatii mentem ipsi alio in aliis terris vestitu pro more Sacerdotum saecularium uti licuisset. Responsum, quod hac in re plenam lucem praebeat, nonnisi ex documentis, quae adhuc in tabulariis Societatis latent, erui posse videtur. Si tamen conjecturas adhibere licet, haec sunt, quibus quaestio illa ex parte saltem illustrari posse videtur:

a) S. Ignatius veste saecularium Sacerdotum in Hispania communi usus fuisse traditur, item alii Patres, qui Hispani erant. Hi cum in alias regiones venirent, cum vestis hispanica non multum dissimilis esse videretur a veste talari Sacerdotum harum terrarum, non existimabant sibi necessario mutandum esse vestitum, nisi aliqua ratio id exigeret.

b) Commodum videri potuit, si Socii in diversis terris, praesertim propinquis, veste ejusdem formae uterentur, ne vestitus toties mutandus esset, quoties, quod saepe accidit, ab aliquo locus habitationis mutaretur. Jam in eligenda vestis forma opportunum videri potuit illam eligere, quam jam plures Patres et ipse S. Fundator adhibebant.

c) Accedebat, quod Societas tum ob alias Constitutiones tum etiam ob illam, qua nulla

vestis ipsi peculiaris ac propria est, ab adversariis impugnabatur. Aliqui etiam, praesertim Monachi quidam, eo usque procedebant, ut dicerent Societatem non esse Ordinem religiosum, cum habitu proprio, choro aliisque monasticis institutionibus abstineret. Hujusmodi impugnationi opportunum videri poterat occurrere per uniformem quendam vestitum, qui ex una parte tanquam „argumentum ad hominem“ contra adversarios serviret, in quorum oculis nostri jam minus dissimiles ab aliis Religiosis viderentur, et qui ex altera parte ab Instituto alienus non esset, cum vestis illa reipsa non esset habitus Ordini nostro proprius, sed vestis communis Sacerdotum in Hispania.

d) Denique conjicere possumus, in illis terris et temporibus, quibus Societas in summo honore erat et tum in scholis dominabatur tum aliis apostolicis ministeriis gloriosa florebat, nostros existimasse, se melius atque facilius in gloriam Dei propagandam et hominum salutem promovendam posse incumbere, si Societatis filii ab aliis Sacerdotibus ipso exteriori habitu distinguerentur; ad hunc finem autem vestis hispanica conferebat, quin haec ideo ad vestitum Ordini proprium necessario et ubique pertineret. — Ceterum, ut dixi, pleniorem lucem hac in re nonnisi documenta in tabulariis latentia afferre posse videntur.

ARTICULUS III.

Quid in Instituto de vestitu Coadjutorum temporalium contineatur.

In aliis Ordinibus, qui habitum sibi proprium habent ex obligatione gerendum, nihil obstat, quominus Fratres laici eodem prorsus modo vestiantur, ut videre licet in Ordinibus quibusdam Monachorum. Cum autem, ut demonstratum est, Societas habitu sibi proprio careat, Sacerdotes et Scholastici veste communi Clericorum loci, in quo vivunt, aut veste simili Cleri hispanici utantur, evidens est Coadjutores temporales, laici cum sint, non posse vestitu prorsus aequali uti. Nihilominus jam primo Societatis saeculo usus invaluit in quibusdam saltem regionibus, secundum quem Fratres laici pileum quadratum et vestem talarem (sottanam) sive hispanicam sive aliam similem gestarent clericali pileo et vesti prorsus aequalem. Id inde explicandum videtur, quod in iisdem regionibus aeditui et ministri, qui Missae sacrificio inserviebant, his insignibus clericalibus ornabantur omnes; igitur etiam Coadjutores nostri, qui tamen, quod in templo omnibus Missae inservientibus licebat, etiam domi usurpasse videntur, Superioribus initio non repugnantibus. His suppositis, quae in Instituto sancita sunt, facile intelliguntur:

Jam in *Congr. gen. I. decr. 95.* hac de re agebatur:

„Quaesitum etiam fuit de ratione vestium et pileorum, quibus Laici nostri uti deberent. Nihil

esse statuendum visum est; sed eam indumenti rationem probari, qua *nostri Laici a Sacerdotibus nostris* et saecularibus hominibus *distinguerentur* et ut vestitus honestus esset *juxta morem patriae.* Et pileorum quidem ratio Provincialium arbitrio relicta est. Eos tamen, qui inserviendi Missis officium habent, clericali pileo uti debere visum fuit. De superpelliceis nihil certi statuendum videbatur, sed si quando expedire judicaretur, ut hujusmodi ministri eis uterentur, petendam esse facultatem a Generali."

Congr. gen. III. (a. 1573.) *decr. 22:*

„Cum quaestio de pileis Coadjutorum temporalium, de qua in prima Congr. actum est, iterum proposita fuisset, decretum fuit, ut R. P. N. Generali, qui quod unicuique Provinciae expedierit judicabit, totum negotium relinqueretur, sic tamen, ut juxta decretum 95. primae Congregationis distinctio *inter ipsos et nostros Sacerdotes* ac saeculares etiam homines servaretur."

In *Regula custodis* vestium 6. statuitur:

„Coadjutores autem temporales sottanis dimidio palmo brevioribus quam Sacerdotes, et pallio sottanis breviori utantur."

Per „sottanas" non solas vestes hispanicas intelligi, tum ex ipsa voce, quae talarem vestem in genere significat, tum ex eo patet, quod usus vestis hispanicae illo tempore communis non fuit, cum communis non fuerit fere 80 annis post illud tempus, quo Bartoli scribebat (cf. supra art. II.).

Congreg. gen. VI. (a. 1608.) *decr. 30:*

„Cum propositum fuisset de distinctione habitus Coadjutorum temporalium, Congregatio censuit, commendandam esse R. P. N. Praeposito Generali observationem regulae *quoad brevitatem vestium. De pileis* vero cum diligenter dictae sententiae fuissent, placuit Congregationi *nihil in alterutram partem definire aut statuere* neque quidquam hoc tempore innovandum esse; juvandos autem in spiritu diligenter ac paterne, ut in sua vocatione humiliter ac reverenter Domino ac Societati inserviant. Si qui vero se ad spiritum vocationis et gradus sui non accommodaverint, ii puniantur, mortificentur et *pilei etiam usu, ubi esset introductus,* ad humiliationem arbitrio Superiorum, priventur.“

Ex hujus et posteriorum decretorum verbis elucet pilei usum non ubique viguisse.

Congreg. gen. VII. (a. 1616.) *decr. 24:*

„Cum propositum Congregationi fuisset, ut dignaretur discrimen aliquod certum in universo Sacerdotum, Scholasticorum et temporalium Coadjutorum vestitu decreto suo statuere,

1. „Censuit primo servandam regulam 6. Custodis vestium, ut sottana dimidio palmo breviore, pallio vero sottanis breviore utantur Coadjutores, utque illi rei *magna cura et diligentia,* superatis difficultatibus omnibus, incumberent Superiores.

2. „Circa capitis vero tegumentum iis, qui *in posterum* ad Societatem Coadjutores venturi sunt,

omni omnino clericalis pilei usu, quo Sacerdotes et Scholastici uti consueverunt, interdicendum esse, *adempta cuicunque demum Superiori, etiam Generali, dispensandi cum illis facultate.* Iis vero, qui jam in Societate sunt, permitti eorundem usum posse *in illis Provinciis, in quibus consuetudo* talis invaluit.

3. „Et cum intercessissent huic decreto aliqui Patres petiissentque tempus sibi concedi ad intercessionis suae rationes Congregationi proponendas, concessit Congregatio."

Ejusdem *Congreg. VII. decr. 27:*

„Lectis Patrum, qui tam pro *Indicis* quam pro *variis* Europae Provinciis intercesserant, rationibus, post multa variaque in utramque partem a variis allata censuit Congregatio:

1. „Nihil sibi videri in Coadjutorum capitis integumento mutandum in iis, qui Societatem ingressi Sacerdotum ac Scholasticorum pileis utuntur.

2. „Iis vero, qui in *posterum* in Europa ad eandem Societatem accessuri sunt, *nullo modo* usum pilei clericalis, quo Sacerdotes Scholasticique utuntur, censuit permittendum. Statuitque Congregatio sententiam hanc suam *indispensabilis decreti* vim roburque habere et obtinere debere. Quod etiam *diserte in posterum indicandum voluit* omnibus quotquot in Societatem admitti petierint, *nec alia ratione admittendos.*

3. „De iis vero, qui in utraque India orientali et occidentali versantur, nihil in praesentiarum

statuendum sibi judicavit, sed rem totam arbitrio Patris Nostri relinquendam, qui pro temporum varietate videbit, quid in Domino consultum fuerit ac fieri poterit."

Congreg. gen. VIII. (a. 1646.) *decr. 21:*

„*Undecim omnino Provinciarum* multorumque privatim Patrum Professorum postulatum fuit: ut VII. Congregationis gen. decr. 27. de operimento capitis Coadjutorum ab hac Congregatione non tantum omnimodam firmitatem ac robur acciperet, sed etiam *ad usum revocaretur.* Quod ubi relatum est, imprimis recitato aliquot Patrum Deputatorum in utramlibet propositi partem scripto atque judicio quaesitum est, num videretur hac de re *secretis suffragiis* decernendum, an vero sententiis de more in commune collatis? Et placuit majori parti, justis de causis, decerni *secretis suffragiis.*

Cum vero post hujusmodi decretum institissent aliquot Patres, ut, antequam *res adeo gravis* secreta suffragatione decerneretur, rationes saltem in medium afferrentur vel certe *(ne, quid quisquam in hac causa sensisset, ullo unquam tempore constare posset)* in scriptis et sine nomine deferrentur ad Patrem Secretarium in Congregatione recitandae, constitutum est, (eas) scripto intra triduum (esse) afferendas.

Quo elapso lectisque utriusque partis rationibus secretorum suffragiorum plus quam duabus tertiis partibus decreta est observatio et executio ejus decreti 27.

Si haec decreta considerentur, elucet, Societatem summa moderatione et patientia utendum sibi censuisse in re, quae Coadjutorum sibi carissimorum et utilissimorum animos maxime afficiebat. In recenti Societate haec quaestio in illis Provinciis, quae veste hispanica non utuntur, ut e. g. in Anglia, in Belgio, in Gallia, alio modo soluta est. Ibi enim Coadjutores exclusa veste talari vestibus laicorum nigris vel subnigris honestissime et decentissime vestiuntur, quoties foras exeundum est; domi vero vestibus vilioribus laicorum induti sunt, quae labori manuum accommodantur. Cur Societas antiqua non idem statuerit, quamvis id statui laicorum maxime conveniat, ex summis difficultatibus facile explicatur, quas Superiores experiebantur in pileorum et vestis longae usu abolendo.

ARTICULUS IV.

Decreta Congregationum de vestitu Coadjutorum temporalium ex historia illustrantur.

Difficultates in exequendis decretis de veste Coadjutorum breviore illustrantur exemplo, quod in historia Provinciae Siculae a P. Emmanuele Aguillera conscripta refertur in P. I. cap. 13. n. 10:

„In domo Professorum Panormitana extinctus est hoc anno (1595.) Frater Franciscus Fuda Calaber VIII. Calend. Sextiles, cujus elogium evulgavit P. Josephus Matina, qui procurator quum esset, eo socio annos quam plurimos usus est.

Vir fuit eximiae virtutis tanquam delapsum aliquod ex primo Societatis aevo priscae probitatis exemplar. Intimam quandam pietatem prae se tulit, quae ex vultu, oculis et totius corporis habitu elucebat sic, ut ejus consuetudo suavitatis, religionis et temperantiae plena se ostenderet. Extat obedientiae ejus non vulgare monumentum. Quum enim Julius Fatius Provinciae Praepositus Mercuriani praescripto impense edixisset: ‚*Non licere Fratribus nostris vestem contra quam legibus nostris caveretur ad talum promittere*', plerisque reluctantibus et contumacia quadam aperte conspirantibus *ipse ante omnes decurtata prodiit tunica* seque conjuratis conspiciendum atque irridendum obtulit *admirabili constantia et fortitudine animi.* Ea tamen res aliter ipsi cessit ac ceteris. Nam qui majoribus dicto audientes non fuerant, alii aliis temporibus a Societate partim sua sponte desciverunt, partim ejecti sunt; et qui sceleris auctor fuerat, ad suos reversus paulo post Panormi miserandum in modum ferro necatus est. *Franciscus vero ex eo tempore coelestibus auctus beneficiis* magnum pietatis et religionis incrementum cepit. Nihil ei erat jucundius quam divinam sumere Eucharistiam, nihil dulcius quam de Deiparae laudibus sermonem instituere."

Quae *ad historiam pilei* spectant, item sunt attentione dignissima. Haec Juventius in Historia Societatis Jesu P. V. tom. posteriori, libro XI. num. 83. sqq. paucis comprehendit:

„Inter graviores ejusmodi curas una incidit levior in speciem, *ejusmodi tamen, ut eam neque decidere Praepositus Generalis* (scil. Aquaviva) *ac ne Congregationi quidem proponere tempestivum duxerit,* suspicatus, ut opinor, hunc etiam nodum ab inquietis excogitatum esse, quem explicare si vellet, multum susciperet molestiae et in magnam apud complures e nostris offensionem incurreret. Multi jam dudum querebantur, quod fratres nostri ad domesticum admissi ministerium pileo quadrato, qui Sacerdotum ordini videtur addictus, uterentur *in quibusdam Societatis Provinciis.* Fuit illis initio rotundum capitis tegmen, e lana ferme nigra, quale gestant hodieque Conservatores Urbis Romae, Fetiales Principum, et Societatis tirones in Gallia. Aedituis nihilominus pileus clericalis permittebatur. *Hic mos tenuit tamdiu dum vixit S. Ignatius.* Cum autem in ejus Constitutionibus ea de re nihil exstaret praescriptum nominatim, *prima Congregatio* generalis sanxit hoc duntaxat, ut fratres nostri *a sacerdotibus Societatis* et populo discernerentur idoneo vestitu; pileorum autem rationem et modum reliquit Provincialium arbitrio; clericales tamen dandos censuit sacrarii curatoribus. Decretum Congregationis primae confirmatum in *secunda* fuit. *S. Franciscus Borgia* cum regendam accepit Societatem, interdixit universe fratribus adjutoribus usu pilei clericalis et in ejus locum *petasos seu galeros more patriae* substitui jussit. Cum autem id postea locis aliquibus molestum

accidere intellexisset, pristinum retineri morem in iis, ubi jam inoleverat, provinciis ita permisit, ut modus tamen aliquis adhiberetur, neque simul neque omnibus concederetur. Hinc geminus quasi ordo Coadjutorum temporalium, alter eorum, qui pilei clericalis jure gauderent, eorum alter, qui honoris istius forent expertes, quae inaequalitas fomes invidiae et querelarum seges erat. Haec putatur fuisse causa *Patribus Congregationis tertiae* generalis, quae S. Francisco Borgia mortuo celebrata est, *reservandi Praeposito Generali* facultatem quadrati pilei nostris adjutoribus impertiendi, quam prima Congregatio generalis Provincialium arbitrio permiserat. *Everardus Mercurianus,* qui Borgiae successit, eam inierat rationem, ut maneret, quibus datus jam fuisset; ceteris deinceps ne concederetur. *Aquaviva,* selectis Patribus in consilium adhibitis, quaesivit, quid opus facto videretur. *De Provinciis Italiae potissimum et Siciliae* agebatur. *Neque enim de quadrato pileo Hispanis fratribus auferendo moveri quidquam expediebat,* istis recentibus turbis, neque de tribuendo Gallis aut Germanis quaerebatur, *a quibus nondum fuisse usurpatum constabat.*

„Non deerant, qui domesticis adjutoribus favcrent eosque minime putarent contristandos, ac praesertim Benedictus Palmius, homo vehemens et isti causae deditus, in qua consentientes habebat plerosque Societatis Patres jam grandaevos et opera ministerioque fratrum indigentes. Quid

quod novam hanc turbandi occasionem haud dubie accepturus videbatur Josephus Acosta, qui cum *Aragoniam* nuper visitaret, demereri laicos adjutores studuerat pileo clericali omnibus passim concesso. *Toletana* quoque Provincia *reliquo vestitu magis* quam pileo censebat illos a sacerdotibus distinguendos.

„Acerrime reclamabant alii, cum dicerent, gradum hunc, ut ab hominibus non religiosis talari tunica distinguebatur, sic a religiosis clericis pileo secerni oportere. *Nequaquam ferendum, ut homines nullis Ordinibus sacris initiati pro sacerdotibus interdum se gererent,* imo de quaestionibus ad conscientiam pietatemve pertinentibus dissererent fidentius, quam ipsorum captus ferret, non sine gravi tum suo tum eorum, qui audirent, periculo, ac dedecore Societatis. Fovendam omni studio in adjutoribus rei familiaris *humilitatem et simplicitatem; ad hoc porro juvare vestem ipsam, ad cujus fere naturam et speciem animus componitur.*

„Ea *licet vere disputari viderentur,* nihilominus abstinendum in praesentia hujus negotii tractatione Claudius censuit ac pileum etiam in Italia fratribus nostris concedendum scripsit, simul admonens, ut accurate observarentur, quae *de breviore veste illorum ac pallio* decreta jam et constituta fuerant. Tamen a congregatis Patribus quidam privata industria tentandum existimantes, quod ad publicum Societatis consilium referre Praepositus Generalis timuerat, *a Summo Pon-*

tifice postularunt, ut *laicis cujuscunque Ordinis religiosi* clericalem hunc ornatum prohiberet, addentes fore, ut Aquaviva libentissime huic decreto Pontificio morem gereret. Misit ad Claudium Clemens, qui resciret illius mentem, Andream Sorbolongum, postea Urbinatem Antistitem. Nec distulit adire Clementem Aquaviva et obsequium pro more, quidquid statueret Pontifex, professus, ubi rationum gravissima momenta exposuit ac *periculum, quod Societati universae imminebat,* in quam ea lex procul dubio proprie comparata diceretur, acquievit Clemens et nihil immutandum judicavit. Idem negotium subinde in Congregatione generali sexta fuit agitatum eodem eventu; conclusum denique ac definitum in septima (decret. 27.) et octava stabilique decreto (21.) sancitum, ut iis, qui ad ministeria domestica deinceps venirent in Societatem, omni penitus clericalis pilei usu interdiceretur, adempta etiam Praeposito Generali facultate illos hac lege solvendi."

SECTIO II.

De causa efficiente Societatis Jesu.

Causa efficiens generatim dicitur illa causa, a qua aliquid fit, seu principium, a quo aliquid producitur. Causa efficiens dicitur instrumentalis, si est alteri ita subordinata, ut ab ea tanquam medium seu instrumentum dirigatur, e. g. culter,

malleus, penna; illa vero causa efficiens dicitur principalis, quae alteram (instrumentalem) dirigit.

Jam quod Societatem Jesu attinet, causae efficientes plures distingui possunt:

1) *principales:* Deus, Spiritus Sanctus, Jesus Christus;

2) *instrumentales:* a) BB. Virgo Maria, Regina et Mater Societatis; b) S. Ignatius et c) Summi Pontifices.

In his meditationibus has causas efficientes illo ordine considerabimus, qui facilior et opportunior esse videtur.

CAPUT IX.

Singularis providentia Dei se ostendit in S. Ignatio eligendo, convertendo et disponendo ad fundandam Societatem.

ARTICULUS I.

Singularis providentia Dei se ostendit in S. Ignatio eligendo.

1) Societas fundanda finem sublimem habet; — S. Ignatius ex sua indole animo excelso praeditus erat.

2) Societas fundanda „magni debiti solutio", „turris alta", „pondus" in Formula Instituti vocatur; — S. Ignatii pectus vero forte, invictum, ad ardua superanda natum erat.

3) Societatis finis est: gloria Dei externa tum intensive tum extensive major (cf. cap. IV.); — S. Ignatius, sua natura gloriae cupidus, si gratia

accederet, aptus erat ad majoris gloriae Dei desiderium ardens concipiendum.

4) S. Ignatius, fortis miles, electus est a Deo ad militiam Christi sub crucis vexillo agendam et ad novam cohortem, quae sit Ecclesiae militantis subsidium, conscribendam.

5) S. Ignatius eodem anno (1491.) natus est, quo Ferdinandus, Aragoniae rex, cum Christophoro Columbo navigationem ad novam terrae partem detegendam decrevit, qua novus laboris campus apostolicis viris apertus est; sicut S. Franciscus Xaverius, S. Ignatii filius, eodem anno (1497.) ortus est, quo Vasco de Gama in detectas a se Indias navigavit.

6) Eodem anno (1521.), quo Martinus Luther Wormatiae apostasiam professus est et libellum contra vota religiosa conscripsit, S. Ignatius conversus in Monte Serrato se Deo et B. Virgini consecravit atque librum Exercitiorum Manresae conscripsit.

7) Simul S. Ignatius et Calvinus Parisiis vivebant, simul discipulos colligebant.

8) Parisiis Petrum Fabrum sibi finxit Ignatius, „qui vitae et doctrinae suae malleo (verba sunt Florimondi Raymondi) haeresin fortiter obtrivit". „Ibidem (ait idem auctor) Calvinus alterum sibi fabrum cudit, insignem oppido suorum in fornacibus haereseon Cyclopum ministrum."

9) Eodem tempore, quo Henricus VIII., Angliae rex, ab Ecclesia defecit et Summi Ponti-

ficis nomen e libris eradi voluit, S. Ignatius Societatis initia praeparavit Summo Pontifici addictissimae (cf. Bartoli, Vita S. Ignatii l. 1. cap. 2.).

ARTICULUS II.

Singularis Dei providentia se ostendit in conversione S. Ignatii.

Cum historia conversionis S. Ignatii sit notissima, paucis eam verbis in memoriam revocare sufficiat:

Vulnus Pampelonae acceptum, — lectio vitae Christi et Sanctorum, cum libri alii deessent, — sanatio vulneris per S. Petrum, cujus successoribus Societas devovenda erat (et in cujus honorem jam prius poëma composuerat), — Visio B. Virginis cum Jesu puero.

ARTICULUS III.

Singularis Dei providentia elucet in modo, quo Deus S. Ignatium ad Societatem fundandam disposuit.

a) Via perfectionis, in qua a Deo post conversionem ducebatur, exercitia illi a Deo communicata, experientia diversorum spirituum S. Ignatium disposuerunt, ut magister eximius vitae spiritualis fieret.

b) Asperitas vitae maxima ab ipso suscepta initio et effectus ejus, quos in se experiebatur, illum docuerunt, Ordini apostolico a se fundando

modum vivendi in exterioribus communem, minime vere insolitum et austerum convenire.

c) Difficultates, quas ob singulares vestes a se et quibusdam discipulis tempore studiorum Parisiis adhibitas expertus est, ad id contulisse videntur, ut postea Societati nullum certum habitum a veste Sacerdotum saecularium diversum praescripserit.

d) Per summam paupertatem, quam jam ab initio amplexus est, ad id S. Pater disponebatur, ut severam paupertatem Professis eorumque domibus servandam statueret, vi cujus Societas est Ordo Clericorum Regularium mendicantium (cf. cap. VII. art. III.).

e) Via humilitatis et experientia opprobrii atque contemptus ex amore Christi tolerati effecit, ut eandem viam Societati praefigeret (cf. Reg. 11. Summ.) et a Deo impetraret.

f) Studium grammaticae inter pueros ab eo inchoatum, cum jam aetate provectus esset, ad id contulisse probabile est, ut postea educationem puerorum Societati propriam faceret.

g) Studium Philosophiae et Theologiae in Universitatibus S. Ignatio occasionem dedit tum inter studiosos socios colligendi, tum experientia discendi, quae documenta vitae utilia Scholasticis Societatis dari conveniat.

CAPUT X.

Spiritus Sanctus singulari modo auctor Societatis Jesu dicendus est.

ARTICULUS I.

Spiritum Sanctum esse auctorem Societatis Jesu ex Bullis Pontificum elucet.

Suarez (De Relig. Societatis l. 1. c. 4. n. 5.) ait: „Spiritum Sanctum fuisse principalem hujus Religionis auctorem... profitetur Ignatius in principio suarum Constitutionum dicens, ‚Summam sapientiam et bonitatem Dei Creatoris nostri esse, quae conservatura est, gubernatura et promotura in suo sancto servitio hanc minimam Societatem Jesu, ut *eam dignata est inchoare*'. Quod sane non aliter fecit divina sapientia, quam Ignatium speciali instinctu suo illuminando et ad tantum opus excitando et movendo. Quod sane senserunt Pontifices Summi:

„Paulus namque III. in Bullis suis de Ignatio et sociis ejus semper dicit: ‚Spiritu sancto (ut creditur) afflati'.

„Julius autem III. simpliciter dixit: ‚*Spiritu sancto afflati*', omissa particula, ‚ut creditur', quam non existimo casu excidisse, sed quod dubitationem vel formidinem indicaret, consulto ablatam fuisse; nam diuturna experientia et uberes fructus, simul cum approbatione praedecessoris sui, omnem formidandi rationem, si qua erat, auferre poterat. Atque eadem fortasse ratione

„Gregorius XIII. in Bulla: ‚Quanto fructuosius' absolute dixit: ‚Ad quem finem *Spiritus sanctus,* qui bonae memoriae Ignatium Lojolam ipsius Societatis institutorem ejusque socios excitavit, media etiam praeclara maximeque opportuna hujus Sedis ministerio tribuit atque confirmavit.' Et paulo inferius: ‚Quapropter Societatis corpus idem Ignatius *divino instinctu* ita duxit disponendum' etc."

Addit Suarez (ibid.) multa alia, quae ad has duas rationes reduci possunt: a) ad singularem Dei providentiam in origine Societatis (de qua cf. cap. IX.) et b) ad effectus magnos eosque supernaturales a Societate in hominibus productos, qui ostendant, Societatem Jesu opus Spiritus sancti esse.

ARTICULUS II.

Origo Societatis Jesu a Spiritu sancto etiam per revelationes promota est.

Influxus Spiritus sancti in fundanda Societate non solum in illustratione intellectus et motione voluntatis consistebat, sed certum est (fide humana) S. Ignatium a Spiritu sancto per revelationes proprie dictas fuisse adjutum:

1) Substantialia Instituti S. Ignatium revelatione didicisse inde elucet, quod S. Pater Jacobo Lainez dicenti existimare sese, Ordinum fundatoribus gravissimas leges proprii Instituti a Deo revelari, reliquis eorum prudentiae relictis, respon-

dit: „Tecum plane sentio“ (cf. Lancitium, De praest. Instit. l. 1. c. 1. n. 1.). — In specie vero

2) S. Ignatio per revelationem a Spiritu sancto communicata fuit in exercitio „de regno Christi“ „idea et finis Societatis“; in illo vero „de duobus vexillis“ „universa Societatis fundandae methodus“, „totum artificium atque integra structura“. Utrumque confessus est S. Ignatius, et illud quidem Patri Aegidio Gonzalez, alterum vero P. Everardo Mercuriano (cf. Lancitium ibid. n. 11.).

3) Societatem non habere chorum nec vestem peculiarem, et peregrinationes inter experimenta probationis esse, „tria illa et alias multas res in Societate ordinatas“ testatur P. Ludovicus Gonzalez „dixisse sibi S. Ignatium se intellexisse Manresae in una magna illustratione intellectus a Domino nostro manifestatas“ (cf. Lancitium ibid. c. 1. n. 2)[1].

ARTICULUS III.

Revelationes, quibus S. Ignatius a Spiritu sancto de fundanda Societate instruebatur, non raro cum visionibus conjunctae erant.

Id constat ex vita S. Ignatii a P. Lud. Gonzalez conscripta (quae tota habetur apud Bol-

[1] Lancitius haec tria affert, ut inde demonstret, etiam quaedam „non essentialia“ puncta Instituti esse a Deo revelata; sed non attendit, duo priora de choro et veste in Bulla Julii III. contineri, in qua nonnisi substantialia contineri declaravit Congr. V. decr. 58.

landistas), in cujus fine auctor (qui narrationem ex ore S. Patris acceperat) testatur, S. Ignatium sibi inter alia dixisse, „se semper crevisse in devotione, i. e. in facilitate inveniendi Deum, et nunc plus quam unquam in vita sua qualibet vice et hora, qua vellet invenire Deum, illum inveniebat, et quod habebat etiam tunc multas visiones, maxime illas, de quibus supra dictum est, sicut videre Christum tanquam solem; et hoc illi accidebat saepe ambulando, loquendo de rebus magni momenti et hoc faciebat illum venire in confirmationem. Cumque etiam Sacrificium Missae celebraret, saepe visiones ei contingebant; valdeque frequenter, cum Constitutiones conderet. Atque hoc se posse tunc affirmare dicebat facilius, propterea quod scribebat quotidie, quae in animo ejus fierent, et tunc scripta inveniebat. Itaque fasciculum mihi ostendit satis grandem ex scripturis colligatum, quarum mihi bonam partem legit: Major pars *visiones* erant, quas in confirmationem nonnullarum ex Constitutionibus viderat. His aliquando Deum Patrem, nonnunquam tres Personas Trinitatis, aliquando beatissimam Mariam modo intercedentem, modo confirmantem cernebat". (Cf. etiam Lancitium ibid. n. 9.)

Inde elucet *etiam BB. Virginem ad causas efficientes instrumentales Societatis pertinere,* qua de re vide infra cap. XV. art. III.

CAPUT XI.

Singularis Dei providentia se manifestat in confirmatione Societatis Jesu per Summos Pontifices.

Paulus III. a. 1539. viva voce Societatem approbavit dicens: „Digitus Dei est hic“. „Porro circa primam Societatis per pontificium diploma confirmationem“, ait Lancitius (op. cit. c. 2. n. 43. sqq.), *„quatuor notanda sunt magna argumenta divini favoris erga Societatis Institutum,* quae excitare debent ad illud amandum et vivendum juxta regulas illius et ad credendum non esse illud humana industria, sed divinitus per S. P. N. Ignatium fundatum.“

ARTICULUS I.

Primus Dei favor in Societatis confirmatione.

„Primo, quod *citius* per diploma pontificium sit prima vice confirmatum, dum prima ejus confirmatio per S. Ignatium peteretur, quam Ordines Praedicatorum et Minorum, quamvis eorum fundatores ob miraculorum famam tum fuerunt magis celebres quam S. Ignatius. Nam Innocentius III., a quo petebant S. Dominicus et S. Franciscus Bullam suorum Ordinum confirmativam, eam non concessit;“ . . . sed uterque Ordo postea ab Honorio III. confirmatus fuit . . . S. Ignatius autem „cum primum petiisset confirmationem Societatis a Paulo III., statim eam vivae vocis oraculo obtinuit, et intra eundem annum et Bullam con-

firmationis ab eodem Pontifice impetravit a. 1540. 27. Sept." (cf. Lancitium ibid.).

ARTICULUS II.

Secundus Dei favor in Societatis confirmatione.

„Secundus favor erga Societatem est in ejus confirmatione facta *tempore difficillimo.* Quamvis enim tum valde perturbarent Ecclesiam novae haeresis Lutheranorum et Calvinianismi initia partim in Germania, partim in Gallia et imposturae Illuminatorum in Hispania, et ideo merito posset Paulus III. ad aliud tempus differre praetextu justae deliberationis Instituti Societatis confirmationem faciendam: tamen intellectis Instituti capitibus sine difficultate et sine dilatione illud vivae vocis oraculo confirmavit" (cf. Lancitium ibid.).

ARTICULUS III.

Tertius Dei favor in confirmatione Societatis.

„Tertius erga Societatem divinus favor est examen Instituti Societatis commissum ab eodem Pontifice personis, a quibus favorem sperare non poterat, *felici successu conclusum.* Etsi enim Paulus III. optime, ut dictum est, sentiret de Societatis Instituto, tamen, ut Societatem praemuniret a linguis loquentium iniqua et ne videretur minus considerate in re tanta procedere, jussit Institutum Societatis in certa capita digestum" (formulam Instituti) „examinari et cognosci primum a Thoma Badia Dominicano, sacri palatii Magistro, magni

judicii et doctrinae viro, postea ad Cardinalatum promoto, ut scribit Ribadeneira, deinde a tribus Cardinalibus, apud quos nihil erat loci gratiae, et in his a Barthemio Guidiccionio, novis Religionibus adeo infesto, ut librum scripsisse dicatur ad multitudinem Religionum tantum ad quatuor Ordines reducendam. Hi tamen omnes post multa hinc inde agitata, praesertim Guidiccionius *mutata sententia,* Societatis Institutum laudarunt et Pontifici magnopere commendarunt; et quidem Guidiccionius ita, ut diceret: ‚novas Religiones non probo, hanc tamen non probare non audeo; *sic enim interius afficior eosque motus animi divinitus sentio,* ut, quo me humana ratio non ducit, eo voluntas inclinet, et affectu invitus quodammodo amplector, quod argumentis antea repudiabam', ut scribunt Ribadeneira (l. 2. c. 17.) et Orlandinus (l. 2. a. 82. 83.). Addit autem P. Hieronymus Natalis, dicere eum postea solitum magnas et extraordinarias laudes nostri Instituti."

ARTICULUS IV.

Quartus favor Dei in confirmatione Societatis.

„Quartus Dei erga Societatem favor est, quod idem Paulus III. in prima Bulla supra dicta confirmatoria Societatis fecerit potestatem Praeposito Societatis sine ulla restrictione novas condendi Constitutiones (quod Innocentius III. S. Dominico negaverat). Postea vero idem Paulus III. in altera Bulla non cogens Ignatium ad ostendendas

sibi vel a se subdelegandis factas vel faciendas Societatis Constitutiones aut examini subjiciendas, auctoritate Apostolica *de speciali gratia* indulsit, ut Constitutiones Societatis factae postquam mutatae, alteratae sive de novo conditae fuissent, eo ipso Apostolica auctoritate confirmatae censerentur."

„Qui quatuor favores hoc ipsum confirmant, quod probandum assumpsi, nimirum Societatis Institutum *divinitus esse revelatum*, ideoque cum his praerogativis ample confirmatum, sine minimae rei mutatione vel emendatione et difficultate" (Lancitius ibid.).

CAPUT XII.

Singularis Dei providentia se ostendit in Societatis indole temporibus accommodata, in ejus celeri propagatione, ejus alibi abolitae in Russia conservatione et restitutione in universa Ecclesia.

ARTICULUS I.

Singularis Dei providentia se ostendit in Societatis indole temporibus accommodata.

1) Societas salutem et perfectionem aliorum maxima cum amplitudine quaerens (cf. c. V.VI.VII.) ad fidei defensionem et propagationem instituta est eo tempore, quo magna defectio a fide in Europa grassabatur et immensi laborum campi ad fidem inter gentiles propagandam in Asia et America aperti sunt.

2) Societas Sedi Apostolicae per votum quartum Professorum solemne singulari modo devota eo tempore fundata est, quo auctoritas Vicarii Christi ab haereticis acerrime impugnabatur.

3) Societas, quae obedientiam singulari ratione a suis membris exigit et homines alios in obedientia erga auctoritatem legitimam conservare vel eos ad eandem reducere conatur, eo tempore fundata est, quo innumeri libertatem effrenem affectantes jugum obedientiae abjiciebant.

4) Eo tempore, quo haeretici aliique statum monachalem ejusque sanctum vivendi modum perhorrescere coeperant, Societas instituta est, quae omnibus signis monachalibus abstinet, ut homines facilius Deo lucretur. Qua de re Ribadeneira in vita S. Ignatii l. 3. c. 20. (al. c. 22.) n. 318. scribit: „Itaque (Societas) habitum quidem peculiarem nullum habet, sed communem cum Sacerdotibus earum regionum, in quibus vivit, in quo tamen et honestatis et paupertatis ratio maxime eluceat. Quod quidem factum est, tum quod haec Societas Clericorum est Religio (ut diximus), non Monachorum, tum vero quod haereticis atque aliis hominibus perditis et suo et temporum vitio valde ab habitu monachali abhorrentibus (ad quos potissimum in rectam viam revocandos est instituta) plus se prodesse posse hac ratione arbitrabatur.“ (Vide supra dicta cap. VII. art. II.)

ARTICULUS II.

Singularis Dei providentia se manifestat in celerrima propagatione Societatis.

Bulla confirmationis primae anno 1540. concesserat, ut Societas sexaginta tantum Professis constaret. Sed jam anno 1543. S. Ignatius a Summo Pontifice impetravit, ut hunc numerum excedere liceret, cum multi essent, qui Societatem ingredi cuperent. Anno vero 1546. permisit Pontifex, ut 20 Coadjutores spirituales et Coadjutores temporales (de quibus utrisque prius nulla facta fuerat mentio) admitti possent. Ab anno denique 1549. sine limite Societati se propagare licuit, ita ut S. Ignatius anno 1556. moriens „duodecim Provincias constitutas“ reliquerit: „Lusitaniae, Castellae, Baeticae, Aragoniae, Italiae, Neapolis, Siciliae, Germaniae tum superioris tum inferioris, Galliae, Brasiliae et Indiae, quae ad orientem est; in iis nostrorum Collegia vel domicilia fere centum“ (Ribadeneira, vita S. Ignatii l. 4. c. 29. [al. 16.] n. 457.).

Quam late autem et *brevi tempore* Societas se postea *inter procellas innumeras* propagaverit, elucet ex eo, quod, brevi antequam abolita est, anno 1762, constabat 5 Assistentiis cum Provinciis 39, domibus professis 24, collegiis 669, domibus probationis 61, Seminariis 176, Residentiis 335, Missionibus 223, sociis 22 787, inter quos Sacerdotes 11 010 erant (Buss, Ge-

schichte der Gesellschaft Jesu, Seite 1297; ex catalogo anni 1762.).

ARTICULUS III.

Singularis Dei providentia se manifestat in Societatis alibi abolitae conservatione in Russia ejusque restitutione in universa Ecclesia.

Societas abolita est per Breve Clementis XIV.; in Russia tamen legitime conservata est (et usque ad mortem Friderici II. etiam in Silesia); *legitime* profecto, quod ipsam Societatem attinet; cum enim Summus Pontifex in Brevi exegerit, ut illud in singulis locis promulgaretur, haec conditio, sine qua illud ex mente ipsius Clementis XIV. non valeret, in Russia sine nostrorum culpa, imo etsi a Catharina II. Imperatrice promulgationem, ut Pontifici ex sua parte obedirent, rogaverant, prohibente eadem Imperatrice impleta non fuit. Addi potest Clementem XIV. ad Catharinam dedisse literas, quibus gratiose concessum fuit, ut Breve illud in imperio Russiaco executioni non mandaretur et ut Jesuitae ibi manere possent, ut sunt. Cf. plura hac de re apud Nilles S. J., De rationibus festorum SS. Cordis Jesu et puriss. Cordis Mariae T. I. P. I. c. IV. § IV. (Innsbruck ap. Wagner in editionibus 3. 4. et 5.).

Postea vero Pius VI. viva voce: „approbo, approbo, approbo“ declaravit, Societatem in Russia se minime invito existere (cf. editionem Instituti S. J. novissimam Romae factam de Congreg. gen.

in Russia). Igitur singulari Dei providentia in Russia superstes manebat, donec a Pio VII. anno 1814. pro universo orbe providentia non minus singulari nec unquam satis praedicanda restituta fuit.

SECTIO III.

Christus causa efficiens simul et exemplar necnon caput Societatis.

Causa exemplaris a philosophis dicitur idea in causa efficiente intellectu praedita, e. g. in artifice, quae praelucendo illum in opere conficiendo dirigit et hac ratione in operis ipsius existentiam et indolem influit. Qualis idea sit Societatis Jesu in mente Dei et S. Ignatii, cum totum hoc opusculum describat, speciali tractatu dicendum non est. Sed praeter hanc causam exemplarem, quae ex reliquis causis cognoscitur, Societas habet *exemplar externum et objectivum,* quale artifices saepe quidem, at non semper sibi imitandum proponunt (e. g. si pictor regionem pulchram vel hominem pingit). Hoc exemplar Christus est, et quidem ita, ut sit Societatis etiam conditor et caput. Cum horum trium consideratio difficilius sejungatur, ea simul tractando in hoc capite *totam Societatis ad Christum Dominum relationem* complectemur.

CAPUT XIII.

Idea exemplaris Societatis in mente S. Ignatii formata est secundum exemplar externum, quod est Christus Dominus.

ARTICULUS I.

Christum esse exemplar Societatis elucet ex ejus nomine.

S. Ignatium formasse ideam Societatis a se fundandae secundum exemplar externum, quod Christus est, elucet *ex nomine Societatis Jesu* S. Ignatio in illa visione communicato, quam prope urbem Romam habuit, et „in qua", ait Suarez (De Rel. Societatis l. 1. c. 1. n. 8.), „aeternus Pater Unigenitum suum crucem humeris gestantem ostendit eique Ignatium et ejus socios benevolentissime commendavit, quos eodem amore sub protectione sua Jesus accepit et apertis verbis significavit. Hinc ergo est S. Ignatii desiderium, quod reliqui socii religiosissime amplexi sunt, et prima supplicatione, quam de approbanda sibi Societate Pontifici fecerunt, his verbis significaverunt: ‚Quicunque in Societate nostra, *quam Jesu nomine insigniri cupimus,* vult sub crucis vexillo Deo militare' etc." Hoc nomine autem indicari, Christum esse singulari ratione *ducem et exemplar* Societatis, affirmat Ribadeneira (in vita S. Ignatii l. 4. c. 11.), postquam eandem historiam narravit, his verbis: „Itaque Societatem Jesu appellari voluit, ut, qui huc vocati fuerint, non se in Ignatii Ordinem aliquem adscriptos, sed ad societatem Filii Dei Jesu Christi Domini nostri vocatos agno-

scant, *sub illo summo Imperatore mereant, ejus signa sequantur, crucem suam* cupide tollant, et in auctorem fidei et consummatorem *Jesum aspiciant,* qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta."

ARTICULUS II.

Christum esse exemplar Societatis elucet ex Exercitiis.

Constat S. Ignatio in Exercitio „*de regno Christi*" et „de duobus vexillis" *ideam et formam Instituti* a Deo communicatam esse (cf. dicta in cap. X. art. II.). In his autem exercitiis ut dux et rex imitandus et sequendus proponitur, et in illo quidem de regno Christi S. Ignatius haud dubie Societatem vidit sub imagine illorum, de quibus dicit: „ii, qui magis affici volent (erga Christum regem) et insignes se exhibere in omni servitio sui regis aeterni et Domini universalis, non solum se offerent totos ad laborem, sed etiam agendo contra suam propriam sensualitatem et contra suum amorem carnalem et mundanum oblationes facient majoris aestimationis et majoris momenti dicentes: Aeterne Domine" etc. (Adverte hanc oblationis formulam esse valde similem formulae votorum Scholasticorum; cf. Appendicem.)

ARTICULUS III.

Christum esse exemplar externum Societatis elucet ex multis Constitutionum locis.

In multis locis Examinis et Constitutionum S. Ignatius variis modis loquendo arctam unionem

cum Christo indicat atque ostendit, eam totam cum Christo et pro Christo vivere et laborare debere. Jam vero fieri nequit, ut illum Societas non singulari modo suum exemplar habeat, quocum intime est unita, quocum et pro quo tota vivit et laborat.

Praecipui vero illi loquendi modi sunt hi:

1) Societas saepe dicitur a S. Patre vinea Christi:

2) qui ingreditur Societatem, sequitur *consilia Christi* (Exam. 3, 13.);

3) idem ita se habere debet, „ut qui mundo et proprio amori mortuus *Christo Domino nostro soli vivit* eumque loco parentum, fratrum et rerum omnium habet“ (Exam. 4, 7.).

4) Tirones per servitium aegrotis exhibendum „demonstrent se prorsus ab hoc saeculo ejusque pompa ac vanitate recedere, ut omnino suo Creatori et Domino pro ipsorum salute *crucifixo* serviant“ (Exam. 4, 11.).

5) „Diligenter advertant oportet (candidati), qui examinantur (magni faciendo summique momenti id esse ducendo in conspectu Creatoris ac Domini nostri), quantopere juvet et conferat ad vitae spiritualis profectum, omnino et non ex parte abhorrere ab omnibus, quae mundus amat et amplectitur, et admittere et concupiscere totis viribus, *quidquid Christus Dominus noster amavit et amplexus est* . . . qui procedunt in spiritu et *serio Christum Dominum nostrum sequuntur*, amant et ardenter exoptant, quae iis (mundanis) omnino

contraria sunt, *indui nimirum eadem veste et insignibus Domini sui*" (cf. exerc. de regno Christi) „pro ipsius amore ac reverentia."

6) Pluries commendatur omnibus, ut Superiori, qui *vices Christi* gerat, obediant tanquam Christo.

7) Bona temporalia Societatis „tanquam D. N. Jesu Christi propria" consideranda sunt (Const. 3. p. 2, 7.).

8) „Certum ducitur eos (ad vota ultima promovendos) viros spirituales futuros, et qui sic *in via Christi* Domini nostri profecerint, ut per eam currere possint" (Const. 6. p. 3, 1.).

9) „*Praemium nostrum solus Christus Dominus* juxta Institutum futurus est, qui est merces nostra magna nimis" (Const. 4. p. 15, 4.).

10) „Ut in vita universa, ita et multo magis in morte unusquisque de Societate eniti et curare debet, ut in ipso *Deus ac Dominus noster Jesus Christus* glorificetur" (Const. 6. p. 4, 1.).

11) Constitutiones non obligant sub peccato, ut „loco timoris offensae succedat amor et desiderium omnis perfectionis, et ut *major gloria et laus Christi Creatoris ac Domini nostri* consequatur" (Const. 6. p. 5.).

His omnibus spectatis elucet, quodnam sit vinculum Societatis praecipuum:

12) „Praecipuum utriusque partis (i. e. Superiorum et inferiorum) vinculum ad membrorum inter se et cum capite suo unionem *amor est Dei ac Domini nostri Jesu Christi*, cum cujus divina

ac summa bonitate si Superior et inferiores valde uniti vixerint, perfacile inter se ipsos unientur, idque per eundem illum amorem fiet, qui a Deo descendens ad omnes proximos ac peculiari ratione ad corpus Societatis pertinget" (Const. 8. p. 1, 8.).

CAPUT XIV.

Christus est exemplar Societatis ejus fini accommodatissimum, simul vero fons vitae et caput Societatis.

ARTICULUS I.

Christus est exemplar Societatis fini ejus accommodatissimum.

1) Finis Societatis est gloria Dei externa intensive et extensive major, — Christus vitae finem sibi proposuit *majorem* aeterni Patris sui *gloriam*. Quamvis enim unico actu vel unica sanguinis gutta opus redemptionis perficere et gloriam Patris restituere potuisset, nihilominus, ut amplissime utrumque praestaret, tot tantosque labores per annos 33, tam immanes cruciatus et mortem horrendam atque turpissimam in cruce pati voluit.

2) Quamvis Societas in tironibus, Scholasticis et Coadjutoribus temporalibus *vitam Christi absconditam* imitetur, in praecipuis tamen membris suis *vitam Christi publicam* aemulari studet, cum sicut Christus vitam mixtam, i. e. contemplativam simul et activam aeque primario amplectatur (cf. cap. V.).

3) Sicut Christus *universalissimo amore* pro omnibus hominibus omnium nationum et classium

mortuus est omnesque prorsus redemit, ita Societas omnes homines cujuscunque indolis ad salutem et perfectionem ducere conatur.

4) Christus in vita sua exteriori, in victu, vestitu etc. *communes mores* sequebatur; ita Societas quoque in victu, vestitu céterisque exterioribus ex mente S. Ignatii communem usum Sacerdotum saecularium cujusque regionis sequitur (cf. Formulam Instituti et Const. 6. p. 2, 15.).

5) Sicut Apostoli Christum per triennium comitantes ab ipso instruebantur et praeparabantur pro munere suo apostolico, ita membra Societatis Apostolos imitantes a Christo discere eumque arcte sequi student, ut et muneris apostolici, ad quod vocati sunt, possint fieri participes.

ARTICULUS II.

Christus est ita exemplar Societatis, ut sit simul auctor et fons vitae ejusdem.

Si artifices humani opus suum secundum exemplar quoddam externum conficiunt, hoc tantum juvantur in idea exemplari artificii mente concipienda, quin illud exemplar externum alio modo in opus influat vel ipsi vitam conferat. Christus autem ita est exemplar Societatis, ut simul sit fons vitae, cum sit auctor existentiae et conservationis ejusdem (aliis verbis: etiam causa efficiens). Nam

S. Ignatius in 10. p. Constit. n. 1. dicit: „Quia Societas, quae mediis humanis instituta non est,

per ea nec conservari, nec augeri potest, *sed per gratiam omnipotentis Dei ac domini nostri Jesu Christi,* in eo solo spem constitui oportet, quod conservaturus sit et promoturus hoc opus, quod ad obsequium et laudem suam et auxilium animarum *inchoare dignatus est;* et juxta spem hanc primum medium et maxime consentaneum orationum et sacrificiorum erit."

ARTICULUS III.

Christus, exemplar Societatis, etiam est ejus caput.

Christus non tantum est caput Societatis, sicut est caput totius Ecclesiae, quod vitalem influxum in omnia ejus membra viva exercet; sicut enim Christus modo perfectiore est exemplar Societatis, quam Christianorum omnium, ita etiam est modo prorsus singulari caput Societatis. Est enim singulari modo dux et rex Societatis illius, cui nomen suum „Jesus" singulari amore imposuit, quae est cohors ejus selecta, quae insignis esse desiderat in servitio ejus, in pugna cum et pro ipso (cf. exerc. „de regno Christi" et cap. XIII.).

CAPUT XV.

Societas Jesu est singulari ratione Societas Cordis Jesu, spiritu S. Joannis Ev. imbuta.

ARTICULUS I.

Societas Jesu est Societas, „quam diligit Jesus".

Sicut Joannes Evangelista sine invidia et injuria reliquorum Apostolorum in Evangelio suo

se ipsum vocat „discipulum, quem diligebat Jesus“, ita „minima Societas Jesu“ cum humilitate et animo grato se vocare potest „Societatem, quam diligit Jesus“ seu Societatem Cordis Jesu (quin ideo neget, alios Ordines habere eximias dotes, quibus ipsa fortasse caret, sicut S. Joannes Ev. carebat primatu, quo S. Petrus ornatus erat). Singularis enim et intima unio Societatis Jesu cum Jesu (de qua cf. cap. XIII. et XIV.) necessario singularem unionem amoris cum Corde Jesu secum fert, ita ut quivis Socius Jesu seu quodvis membrum Societatis Jesu ad quiescendum ad Cor Jesu cum S. Joanne Ev. vocatus esse videatur. Inde est, quod S. Ignatius declarat, amorem Domini N. Jesu Christi praecipuum vinculum unionis esse Societatis (cf. Const. 8. p. 1, 8. vide h. verba in art. III. cap. XIII.).

ARTICULUS II.

Spiritus Societatis similis est illi S. Joannis Ev.

S. Joannes singulari caritate erga proximum excellebat, quare etiam discipulos suos iterum iterumque exhortabatur his verbis: „Filioli! diligite alterutrum“ (id narrat S. Hieron. in ep. ad Galat. l. 3. c. 6. Vide Breviar.). Est igitur S. Joannes Ev. „Apostolus amoris“. Societas Jesu vero et ipsa vi finis sui tota apostolica est (cf. cap. VII.), et quidem ita, ut in suo apostolatu exercendo singulari et universali caritate ex Corde Jesu hausta homines attrahere et Deo lucrari conetur.

Spiritum S. Ignatii esse spiritum S. Joannis, S. Maria Magdalena de Pazzis revelatione divina cognovit, ut Lancitius (De praest. Instit. l. 2. c. 1. n. 169.) testatur: „Die 26. Dec. 1599., die S. Stephani, B. Maria Magdalena raptum passa vespere tarde videbat Deum complacere sibi et delectari adeo in anima S. Joannis Evangelistae, ut *quodammodo* non viderentur esse alii Sancti in coelo; et simili modo videbat Deum delectari in anima B. Patris Ignatii, Fundatoris Societatis Jesu. Unde dicebat loquendo fortiter: ‚*Spiritus Joannis et ille Ignatii est idem,* quia totus est amare et conducere ad amandum'. Et intelligebat Deum ideo delectari et complacere sibi in his duobus Sanctis, quia illorum scopus et finis amor et caritas, et per viam amoris et caritatis trahebant creaturas ad Deum. Dixit postea haec verba: ‚Maxime felix spiritus, qui regnat hodie in terra, est ille Ignatii, quia ejus filii in conducendis animabus ad Deum procurant principaliter dare notitiam, quantopere sit gratum ipsi Deo et quantum intersit attendere operibus internis et tractare interius cum Deo, quia hoc exercitium facit amplecti cum facilitate res arduas et difficiles propter lumen, quod recipit anima, ex *quo nascitur amor,* quia convertit in dulcedinem omnem amaritudinem.' Videbat haec benedicta anima, quod toties, quoties filii B. Patris Ignatii tractabant in terra cum animabus tali modo, toties in coelo renovabant Deo complacentiam et delectationem, quam percipiebat in anima B. Patris."

ARTICULUS III.

Societas Jesu S. Joanni etiam similis est vel esse studet, quatenus de eo dicitur: „Virgo Virginem Virgini commendavit".

Sancti Patres dicunt, ideo potissimum S. Joannem a Christo singulari modo amatum fuisse, quod virginitate excelluerit, ideo etiam S. Joanni apud crucem stanti a Christo in cruce pendente singulare illud amoris signum exhibitum fuisse existimant, ut ipsius tutelae B. Virgo Maria traderetur et Mariae matri Joannes filius traderetur, unde illud: (Christus) „Virgo Virginem Virgini commendavit". In his quoque Societas S. Joanni similis est vel saltem esse studet:

1) Societas S. Joanni similis esse studet *in castitate servanda* secundum verba S. Ignatii: „Quae ad votum castitatis pertinent, interpretatione non indigent, cum constet, quam sit perfecte servanda, semper enitendo *angelicam puritatem* imitari et corporis et mentis nostrae munditie" (Reg. 28.). Huc spectat, quod P. Ledesma (Lancitio teste de praest. Instit. l. 2. c. 1. n. 171.) inter favores a Deo Societati concessos donum castitatis recenset.

2) Societas a Jesu singulari modo *B. Virgini commendata fuit,* cum Societas Jesu necessario sit societas Mariae. Quare patrocinium B. Virginis erga Societatem, ait Lancitius (op. cit. c. 2.), multiplex enituit:

a) „Inprimis dum Ignatium ad Societatem Jesu fundandam aptavit, ei sua praesentia nau-

seam rerum terrenarum adferendo eumque sanctioris vitae desiderio inflammando."

b) Quum S. Ignatius Constitutiones conscribebat, „B. Virgo ei pluries se videndam praebuit pro ipso intercedentem et Constitutiones illas confirmantem" (cf. ibid. 177.).

c) B. Virgo plures juvenes et viros egregios modo miraculoso ad Societatem ingrediendam vocavit, ut „S. Franciscum Borgia, Joannem Nuñez, postea Patriarcham Aethiopiae, Martinum Olavium, Bartholom. Bustamantium, S. Stanislaum Kostka, S. Aloysium Gonzaga, Petrum de Anasco, Sebastianum Barradium, Bernardinum Realinum, Alexandrum Dobokai Hungarum, Horatium Girellum laicum, Thomam Perusinum, item laicum, et alterum Nunnium ex nobilissima Gussmannorum familia, ut omittam alios minus celebres (Lancitius ibid. n. 179 sqq., ubi etiam vide plures historias de B. Virgine Societati favente).

d) Alia *innumera beneficia* Societati omni tempore largissima manu praestita omnia in visione P. Guttierez pulchra imagine repraesentantur. Ab hoc enim B. Virgo visa est „eximia et admirabili specie micans veste in magnam latitudinem expansa ac sub ea veste Societatem totam collectam continens, quam illa materno affectu complectebatur eoque quasi caritatis ac gratiae tegumento confovebat" (Lancitius ibid. n. 178.).

3) Societas pro sua *parte B. Virginem singulari modo colendam, defendendam ejusque gloriam propagandam suscepit.* Id elucet:

a) ex Constit. 4. p. c. 4., ubi S. Pater de precibus in honorem B. Virginis a Scholasticis et Coadjutoribus temporalibus quotidie recitandis (scil. de Officio B. V. vel Corona) agit;

b) ex cultu B. Virginis a Societate ubique terrarum maxime promoto et propagato, praecipue per Congregationes Marianas, per libros editos, per devotionem mensis Maji in plurimis locis introductam etc.;

c) ex eo, quod Doctores Societatis immaculatam B. Virginis conceptionem, antequam haec dogma fidei erat ab Ecclesia definitum, semper defendebant;

d) ex eo, quod jam tempore S. Francisci Borgia opinio erat perseverantiam in Societate cum peculiari cultu B. Virginis, quae est „Mater et Regina Societatis" intime cohaerere, quod certe mirandum non est, cum Societas Cordis Jesu sit necessario Societas Cordis Mariae; ideo maxime conveniens est,

e) quod in formulis votorum Scholasticorum, Coadjutorum et Professorum B. Virgo nominatur, ita ut vota Deo coram Matre Dei offerantur;

f) Societas cultum B. Virginis etiam exercet in Litaniis vespertinis, quibus recentiori tempore (cf. Congr. gen. Poloc. 2. in edit. Rom. Instituti 1870. p. 423. sq.) Litaniae Lauretanae praemit-

tuntur et Ave Maris Stella aliaeque preces adjunguntur; denique

g) Congregatio generalis XXIII. decr. 46. n. 3. statuit, ut Societas se SS. Cordi B. Mariae solemniter consecraret his verbis: „Statuendum, ut die 5. Decembris proximi anni, quo occurrit dies festus saecularis, quo Prima Primaria Congregatio Mariana instituta est, Societas, quemadmodum solemniter Sacratissimo Cordi Jesu se totam devovit ac sacravit, sic etiam solemniter se totam devoveat ac sacret SS. Cordi B. Mariae Virginis, quam semper ut dulcissimam Matrem coluit, colit et colet".

CAPUT XVI.

Cultus „Cordis invisibilis" Jesu Societati Jesu quam maxime convenit.

ARTICULUS I.

Hic cultus „Cordis invisibilis" Jesu sequitur ex intima unione cum Jesu.

„Cor invisibile" Jesu dici potest ejus amor divinus et humanus atque tota vita interior, quatenus cum amore cohaeret. Cultus Cordis Jesu in hoc sensu (metonymice) accepti Societati quam maxime convenit et ab initio fuit in ea exercitus, antequam cultus ecclesiasticus Cordis Jesu visibilis, symboli Cordis invisibilis, introductus est. Id elucet

a) ex intima unione Societatis Jesu cum Jesu, vi cujus Societas Cordis Jesu dici potest (cf.

cap. XIII. XIV. et XV.); intima enim haec unio efficit, ut attentio membrorum Societatis perpetuo ad amorem Jesu infinitum considerandum, colendum et praedicandum dirigatur cum hoc ardenti desiderio: „Quia semel venimus ad Cor dulcissimum Jesu et bonum est nos hîc esse, non sinamus nos facile avelli ab eo“ (cf. Breviar. fest. SS. Cordis lect. 1. Noct. 2.). Inde facile explicatur

b) in Societate viros fuisse, qui de SS. Corde Jesu scriberent, antequam cultus ecclesiasticus Cordis Jesu vigere coeperat. „Ex his citat Castagn. Frigidianus in Memoriali S. Congregationi (rituum) oblato Cornelium a Lapide, Hadrianum Liraeum et Bernardinum de Villegas; triginta post annos quartum addit Pater Gallifet Jacobum Alvarez de Paz. . . Praeter hos quatuor alii laudandi: B. Petrus Canisius, de Ponte, Gaudier, Saint-Jure, Hajnal et Drużbicki.“ (Nilles S. J., De rationibus festorum SS. Cordis Jesu et purissimi Cordis Mariae l. 1. c. IV. § IV. p. 171. edit. 5.)

ARTICULUS II.

Cultum „Cordis invisibilis“ Jesu fovet S. Ignatius in Exercitiis.

Exercitia S. Ignatii, ex quibus excellentissima quaeque modo Ordini apostolico convenienti in Instituto Societatis corpore donata sunt (cf. Appendicem) et quibus spiritus internus Societatis formatur, schola dici possunt et sunt, in qua cultus „Cordis invisibilis“ Jesu, quod rem ipsam attinet,

discitur, quamvis nomen Cordis non adhibeatur. Sane:

1) Jam *in 1. hebdomade,* etsi in ea de Christo meditatio non fiat, in colloquio medit. 1. de peccato triplici infinitus amor et misericordia Christi crucifixi erga nos peccatores repraesentatur.

2) *Scopus 2. hebdomadis* indicatur in praeludio 3., quod in omnibus fere contemplationibus est idem (cf. etiam addit. 2. hebd. 2.), his verbis: „Tertium petere id, quod volo. Erit hîc petere *cognitionem intimam* Domini . . . ut magis eum *amem* eumque sequar". Jam vero cognitio Jesu intima esse nequit, nisi ad affectus ejus interiores penetret, et ejusmodi esse non potest, per quam Jesu amor augeatur, nisi ad amorem et reliquos affectus, quatenus cum amore cohaerent, potissimum referatur.

Si hic est scopus 2. hebdomadis, facile elucet, cur S. Pater in contemplatione de Regno Christi, quae est fundamentum 2. 3. et 4. hebdomadum, Christum Regem tam amabilem nobis depingat, ut *suavitas Cordis Jesu invisibilis* ante oculos poni videatur, quod ipsum etiam de meditatione de duobus Vexillis valet.

In quinto cujusque diei exercitio, quod est applicatio sensuum, tertium punctum est: „odorari et gustare olfactu et gustu *infinitam suavitatem ac dulcedinem Divinitatis, animae ejusque virtutum*". Hoc gustu qui delectatur, exclamare merito potest: „O quam bonum et quam jucundum est habitare

in Corde hoc! quin potius dabo omnia, omnes cogitationes et affectus mentis commutabo jactans omne cogitatum meum in Cor Domini Jesu, et sine fallacia illud me enutriet!" (Breviar. l. c.)

3) In 3. hebdomade nobis S. Ignatius *vulnus amoris invisibile* seu Cor Jesu dolore vulneratum ostendit. In tertio enim praeludio docet nos petere „dolorem, afflictionem et confusionem eo, quod *ob mea peccata* Dominus eat ad passionem", quae ipsa in 4. puncto cujuslibet contemplationis consideranda est:

„Considerare ea, quae Christus Dominus patitur in humanitate vel pati vult . . . et hic incipere magno nisu et conari (excitare me) ad dolendum, contristandum et plangendum".

„Sextum (punctum) considerare, quomodo haec omnia patitur *pro meis peccatis*", igitur *ex ingenti amore* erga me.

In 2. contemplatione praeludium 3. est: „petere id, quod volo, quod est proprium petere in passione: dolorem cum Christo doloribus pleno, confractionem cum Christo fracto, lacrymas, *poenam internam de tanta poena, quam Christus passus est pro me*". (Cf. etiam Addit. 2. hebd. 3.)

4) In 4. hebdomade praeludium 3. est: „petere gratiam, ut *laeter et gaudeam intense* de tanta gloria et *gaudio Christi Domini*"; en Cor Jesu gloria et gaudio plenum!

„Quintum (punctum) speculari officium consolandi (suos), quod Christus Dominus noster

exercet, et comparando, quomodo soleant amici amicos consolari"; en Cor Jesu nos consolans! o felices Socios Cordis Jesu! (Cf. cap. XV. et Exerc. addit. 2. hebd. 4.)

5) Conclusio Exercitiorum, quae est contemplatio de amore spirituali, non tantum Cor invisibile Dei, sed etiam Cor invisibile Dei incarnati nobis repraesentat. In puncto enim 1. inter reliqua beneficia Redemptio commemoratur, quae (formaliter) est opus Christi, Verbi incarnati, non SS. Trinitatis, quamvis Incarnatio Verbi a tota SS. Trinitate fuerit decreta et (ut a causa efficiente) effecta. Quare etiam merito R. P. Roothaan advertit etiam in 2. et 3. puncto beneficia ingentia Christi Domini in terra viventis et patientis necnon in SS. Eucharistia praesentis et operantis apte considerari. Qua ratione haec contemplatio compendium evadit Exercitiorum integrorum, quo aptissime concluduntur, ita ut omnia, quae prius in fundamento primo et quatuor hebdomadibus considerata sunt, paucis recolantur et in fine in materiam ignis divini amoris erga Deum et erga Christum nos infinite amantem seu erga „Cor invisibile" Jesu convertantur.

ARTICULUS III.

Cultus „Cordis invisibilis" Jesu vitam interiorem spiritui apostolico Societatis conformem fovet.

Cultus „SS. Cordis invisibilis" Jesu, cum internam vitam Jesu consideret, aptus est ad inter-

nam vitam in nobis nutriendam, ne externis laboribus vocationis apostolicae (cf. cap. VII.) nimis distrahamur. Tale instrumentum vitae internae in nobis fovendae eo magis nobis necessarium est, quod Societas, ut magis omnibus omnia fieri possit, vitam in exterioribus communem agit nec peculiaria signa adhibere solet, quibus pietas, contemptus mundi aliaeque virtutes interiores manifestentur et ipsa manifestatione nutriantur. Difficilius enim est a spiritu religioso non deficere, si nec vestis monachalis aut alius habitus peculiaris, nec rosarium magnum monachorum ritu e cingulo pendens, nec tonsura magna aut crines usque ad cutem tonsi, nec alia similia signa vocationis religiosae memoriam perpetuo praesentem ac vividam conservant. (Vide hac de re supra cap. VII. et VIII.). Cum igitur omnibus his monachalibus subsidiis secundum mentem S. Ignatii abstinendum sit et „in exterioribus omnibus usum honestum et approbatum Sacerdotum“ saecularium sequi debeamus, cultus „Cordis Jesu invisibilis“ fons vitae interioris nobis abundantior existat oportet.

CAPUT XVII.

Christus singulari favore cultum ecclesiasticum sui Cordis sacratissimi Societati potissimum propagandum et defendendum commisit.

Cultum ecclesiasticum SS. Cordis illum vocamus, qui post revelationes B. Mariae Margaritae

Alacoque a Deo factas ab Ecclesia approbatus et introductus fuit. Hic cultus a Corde Jesu invisibili (de quo cap. XVI. agit) in eo differt, quod ejus objectum est „Cor Jesu invisibile symbolo Cordis ejus materialis repraesentatum“, ita ut necessario etiam ad Cor Jesu referatur, quod est organum corporeum, quatenus est naturale et notissimum symbolum amoris et omnium affectuum ac virtutum, quae cum amore cohaerent. De hoc cultu B. Maria Margarita Alacoque scribit 28. Augusti a. 1689.: „Divinum cor vult, ut venerabiles Patres Jesuitae utilitatem et praestantiam hujus devotionis notam reddant; hoc enim pro illis reservavit.“

ARTICULUS I.

Societati Jesu cultus ecclesiasticus SS. Cordis Jesu apte propagandus et defendendus commissus est.

1) Cultus ecclesiasticus Cordis Jesu visibilis simul et invisibilis haud dubie illi Ordini potissimum propagandus et defendendus apte commissus est, cujus indoli cultus Cordis invisibilis Jesu quam maxime convenit. Jam vero hunc Ordinem esse Societatem Jesu consideravimus in cap. XVI.

2) Cum Societas Jesu sit Ordo apostolicus, ei Deus aptissime remedium singulare temporum recentiorum commisit, quo „caritas refrigescens“ multorum et generatim mala grassantia sanarentur; hoc autem remedium in cultu SS. Cordis Jesu consistere, quo amor Jesu laesus deprecatione placandus sit, est notissimum.

3) Spiritus cultus ecclesiastici SS. Cordis non immerito dici potest „spiritus feriae VI. majoris hebdomadis gloriae circumfusae“ [1] (der Geist des verklärten Charfreitags; qua de re vide opusc. Die Bedeutung der Herz-Jesu-Andacht und des Gebetsapostolats für unsere Zeit. Von Joh. Ev. Wieser S. J., Innsbruck 1862). Quamvis enim per hunc cultum beneficia universa a Jesu nobis ex amore infinito collata recolantur, nihilominus singulari ratione passionem et mortem recolendam esse, — non tamen sine magno nostro solatio et gaudio spirituali, quod amor Jesu immensus in nobis excitat, — elucet ex illa imagine, per quam Christus se B. Mariae Margaritae videndam praebuit. Cur enim Christus ostendit Cor suum plaga vulneratum? cur spinea corona circumdatum? cur cruce ornatum? *cur haec passionis insignia radiis ex igne amoris* progredientibus splendore circumfusa fulgent? Ut ostendatur, *„amorem patientem simul et triumphantem“* symbolo Cordis materialis repraesentatum esse objectum cultus hujus ecclesiastici. Jam hic spiritus amoris patientis simul et triumphantis (qui se etiam in vita B. Mariae Margaritae Alacoque et aliorum cultorum insignium SS. Cordis manifestat) *in historia Societatis Jesu universa se ostendit,* quae

[1] Simili ratione dies festus Corporis Christi dici potest „feria V. majoris hebdomadis gloria circumdata“ (der verklärte Gründonnerstag).

inter opprobria et cruces propagata gloriam Dei intensive et extensive majorem promovebat, Deo preces S. Ignatii exaudiente, qui rogaverat, ne Societati unquam persecutio deesset.

ARTICULUS II.

Promissiones Societati factae, si Cor Jesu ferventer colat ejusque cultum propaget.

Si omnibus SS. Cor Jesu colentibus a Christo per B. Mariam Margaritam Alacoque gratiarum copia abundans promittebatur, per se elucebat, hoc promissum magis etiam ad Societatem referri, si ejus membra SS. Cor non tantum ipsa colerent, sed etiam apud alios ejus cultum propagarent atque defenderent. Sed Christus Dominus pro suo amore in Societatem suam singulari praeterea voluit nobis promissiones speciales per eandem B. Mariam Margaritam communicare. Haec enim mense Junio a. 1689. scribit:

„Bonus noster P. de la Colombière gratiam obtinuit, ut Societas Jesu simul cum nostro Ordine particeps fieret omnium gratiarum et singularium favorum hujus devotionis erga SS. Cor Jesu; hoc enim Cor promisit, se supra omnem mensuram et sine restrictione sanctas suas benedictiones supra labores effusurum esse, quos ex amore animarum sibi commissarum suscipit; et SS. Cor mihi tam ardens desiderium habere videtur, ut ab his Patribus cognoscatur, ametur et honoretur, ut illis, ni fallor, polliceatur se unctio-

nes sui amoris ea ratione et tam fortibus et efficacibus gratiis supra eorum verba effusurum, ut haec gladii ancipitis instar *durissima corda peccatorum* maxime pertinacium penetratura sint, ut hi haurire possint de hoc fonte poenitentiae, qui animas purgat et sanctas reddit. In hunc finem autem necesse est, *ut Patres suas illustrationes omnes ex hoc puteo* nunquam exhauriendo, in quo omnis scientia Sanctorum continetur, hauriant. — Sunt in hac Societate magni amici et clientes hujus SS. Cordis. O quam gratiam sanctificationis hoc divinum Cor die suo festo effudit, et quam ardenti fervore repetit promissiones in illorem favorem factas se non permissurum, ut pereant."

Eandem revelationem B. Maria Margarita die festo Visitationis Mariae a. 1689. per os B. Virginis accepit, quae addidit, „divinum Cor pro gloria sibi per membra Societatis collata benedictiones suas et gratias effusurum supra opera vi vocationis suscipienda, ita ut inde tum pro laboribus et spe sua in genere, tum quisque pro salute et perfectione sua uberes fructus lucraturi sint" [1].

[1] Postquam omnia haec capita conscripta fuerunt, in manus auctoris incidit pulchrum opusculum, cui titulus: „SS. Cordi Jesu cur sint addicti et consecrati Societatis Jesu filii. Scripsit P. Hermannus Nix S. J. Wynandsradae 1885. Manuscriptum (typis impressum)." Typis et sumptibus Huttler, Augustae Vindelicorum. Pag. 58. — In h. op. pag. 26. sq. narratur revelatio privata a S. Igna-

ARTICULUS III.

Societas muneri propagandi et defendendi cultum SS. Cordis semper satisfacere studuit.

Hac de re scribit Nic. Nilles S. J. (De rationibus festorum SS. Cordis Jesu et purissimi Cordis

---

tio facta de cultu SS. Cordis per Societatem propagando: „Deprompta haec sunt ex epistola Fr. Bernardi de Hojos Scholastici S. J., candidissimi adolescentis, missa ad patrem suum spiritualem P. Juan de Loyola anno 1733.: ‚Die festo S. P. N. Ignatii', inquit, ‚inter sacram Communionem sensi, non quidem per visum, a dextra mihi adesse S. Ignatium et a sinistra S. Franciscum Xaverium, quorum praesentia animus meus sancto exardescebat amore, qui inflammabatur et fovebatur igne amoris Patris mei. Postquam divinum amorem, Jesum in sanctissimo Sacramento viventem, in pectus meum suscepi, illi duo Sancti eidem reverentiam exhibere visi sunt, et Dominus Noster Sancto Patri meo signum dedit, ut ad me verba faceret, itemque mihi, ut doctrinam Patris mei susciperem. Tum Sanctus ille mihi cum alias multas cognitiones spirituales infudit, tum haec ipsa verba pronuntiavit: ‚Divina providentia Societati honorificentissimum munus esse traditum, ut ejus filii devotionem erga divinum Cor propagarent et dilatarent. Efficiendum esse eorum opera, ut haec devotio cum ea, qua deceret, solemnitate ab auctoritate ecclesiastica exornaretur et divulgaretur. Se et S. Franciscum Salesium divinitus esse destinatos ad hoc per filios et filias suorum Ordinum perficiendum.'" (Cf. Jos. de Uriarte S. J., Principios del reinado del Corazon de Jesús en España. Madrid 1880. Pag. 77. — Titulos de la Comp. de Jesús para con el divino Corazon. Barzelona 1875. Pag. 10. — Nilles I, 141.). — Per se clarum est hanc aliasve revelationes privatas fidem altiorem quam humanam non mereri.

Mariae T. I. P. I. cap. IV. § IV. pag. 172. ed. 5.): „Postquam vero Christus Dominus eadem virgine teste (B. Maria Margarita) non semel edixit Societatem Jesu peculiariter ad hunc cultum promovendum esse destinatam, ejus homines *tanto numero tantoque studio* idem hoc pietatis officium ubique terrarum confirmarunt, illud trans terras etiam et maria in alterum usque orbem feliciter transferendo, ut in fortunato hoc certamine, etiamsi alii cum iis contenderent, tamen omnes facile superarint.“ Testes hujus rei sunt historia diei festi SS. Cordis, libri innumeri compositi, sodalitates institutae, etc. etc. (cf. Nilles op. cit.). — Quae nostro tempore fiant et facta sint, notissima sunt et ex parte infra commemorabuntur.

CAPUT XVIII.

Cultus SS. Cordis Jesu quam proprius sit Societati, historia de ea abolenda, in Russia conservanda et in toto orbe iterum restituenda ostendit.

Deus ineffabili providentia permisit, ut Societas fere ubique aboleretur et iterum restitueretur atque hac ratione *Regi suo et exemplari divino etiam moriendo et resurgendo similis evaderet.* Quam arcte etiam hac in re Societas cum Corde Jesu ejusque cultu, cujus *„spiritum amoris patientis simul et triumphantis“* consideravimus (in cap. XVII. art. I.), conjuncta fuerit, meditemur.

ARTICULUS I.

Historia Societatis abolendae et abolitae ostendit intimum nexum inter Societatem et cultum SS. Cordis Jesu.

1) „Perfectum litis consortium", ait Nilles (ibid. p. 174. ed. 5.), „inter adversarios deletae Societatis et cultus SS. Cordis Jesu exstitisse, res est indubiis testimoniis comprobata. Quemadmodum scilicet, quum Romae sub utroque Clemente XIII. et XIV. ab adversariis agebatur de Societate exstinguenda, *eodem tempore actum ab iisdem* fuisse constat, ut SS. Cordis introductus jam passim cultus damnaretur: *ita postea* devotionis SS. Cordis impugnatores acerrimi erant, qui abolitam Societatem impugnare perrexerunt. Sic, ut ex multis unum afferamus, *Janseniani* in Conventu Florentino a. 1787. post innumera probra in Societatem jacta cultum SS. Cordis idcirco etiam repudiandum dicebant, ‚quod non immerito suspicioni esset locus, quod dissolutum ordinis Jesuitici corpus dispersa Societatis membra sub hoc (Cordis Jesu) vexillo colligere pararet, quodque ab amicis Jesuitarum omnes ad eandem devotionem dilatandam machinae moverentur'. Jesuitae scilicet uti perhibebantur Corde Christi tanquam centro conjunctionis post vices, quas subierant, toti in retinenda conservandaque vetita sua Societate, sicut etiam in comparandis successoribus et supplenda praesenti eorum sobole ‚notis ejusdem cultus professoribus, qui Societatem perpetuent', ut adeo ab adversariis pro

eodem acciperetur ‚esse Cordicolam' etc., ‚esse Jesuitam', ‚colere ex professo Cor Jesu' ac ‚profiteri Societatem Jesu'. Quo licet nihil ineptius fingi posset, homines Societatis tamen, ut olim vituperationem Jansenianorum veriti non erant, ita nec ordine dissoluto opus incoeptum omittebant, eo firmius immo in proposito perstantes, quo certius comperti erant, ipsius Pontificis sententiâ per Societatis exstinctionem intimam suam cum Sacro Corde Jesu conjunctionem minime fuisse labefactatam."

2) Eo tempore enim fama jam propagatum erat judicium, quod ea de re Summus Pontifex tulerat, ut Nilles (ibidem pergens) narrat: „Injuriae Societati Jesu in Lusitania sub Carvalho, primo regni administro, illatae insanabiles videbantur. Eas nihilominus expiare utcunque volenti ac Pii VI. consilium ea de re exquirenti Mariae Franciscae, Reginae Fidelissimae, Papa, miserias et calamitates praevidens, quibus Sedes Apostolica ab aliis aulis obruenda esset, si Regina ipso conscio Pontifice Societatis abolitae patrocinium palam susciperet aut ejus restituendae consilium animo conciperet, respondit, omnibus notum esse assiduum illud studium, quo alumni deletae Societatis Jesu flagrassent, pietatem erga Cor Jesu provehendi et novos illi cultores comparandi; piissimum hoc Societatis institutum idcirco prosequeretur Regina Sacro Cordi extraordinarium aliquem honorem tribuendo

atque in urbe Ulyssipone ipsi huic mysterio Ecclesiam exstruendo; ejusmodi satisfactionem pro injuriis sibi illatis Societatis filios libenter volentesque accepturos esse. Rectissimo atque amantissimo consilio parendo Regina effecit, ut Societati Jesu in Lusitania contumeliosissime antea vexatae cumulate, quantum per adjuncta licebat, satisfieret . . . Ex hoc litis consortio autem necessario factum est, ut defensionem causae Sacri Cordis Ex-Jesuitae ad se potissimum pertinere arbitrarentur; aequitas enim postulare ipsis videbatur, ut quorum odio Cor Jesu tantis injuriis afficiebatur, eorum studio atque opera vindicaretur. Qua de re multa habes a Marquesio recte et sapienter animadversa in Defensione cultus SS. Cordis Jesu, part. II. prop. 10. art. 4."

ARTICULUS II.

Societatis membra imminente et facta Ordinis suppressione in SS. Corde asylum quaerunt, ita ut restitutio Societatis non immerito cultui SS. Cordis tribuenda sit.

1) Id elucet ex litteris encyclicis, quibus *R. P. Ricci,* Praepositus generalis ante suppressionem ultimus, 3. Junii 1767. jam ingruente proximo Societatis periculo hortatus est omnes, ut in SS. Corde Jesu refugium quaererent, et certas devotiones ac preces in honorem SS. Cordis offerendas praescripsit.

2) Socii Jesu 550 ex Hispania ejecti a. 1767. in Corsica insula degentes singulari ratione SS. Cor

colebant, ut tempestatem contra Societatem ortam tollere dignaretur (ut narratur in vita Ven. P. Pignatelli a Boëro conscripta l. 2. c. 14.).

3) Post Societatem abolitam a pluribus *foedus*[1] initum, qui statuebant certas preces quotidie recitare in honorem SS. Cordium Jesu et Mariae pro felici morte et *celeri restitutione Societatis impetranda.*

---

[1] Schedula, in qua foedus hoc sermone latino describitur, typis impressa inventa est in libro precatorio polonico in Bibliotheca Collegii Posoniensis. Verba haec sunt: „*Pium foedus pro impetranda felici morte et restitutione Societatis per universum orbem.* — Recitentur quotidie preces sequentes: Oratio. Domine Jesu Christe, memor esto verbi Tui servo Tuo, in quo mihi spem dedisti, quando dixisti: ‚Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in coelis est'; *oramus Te igitur per SS. Cor Tuum et Cor dulcissimum Virginis Matris Tuae* in nomine eorum, qui pio foedere in hoc consenserunt, ut ultimus vitae nostrae actus sit supernaturalis et perfectus amoris Dei, siquidem talis non fuit primus. *Item, ut Societas Tua quam primum et melius quam antea in toto orbe restituatur.* Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus etc. Amen. Psalm. 30: ‚In Te, Domine, speravi, non confundar in aeternum' cum Gloria Patri, prout in Completorio Officii divini. — In *honorem SS. Cordium Jesu et Mariae* dicantur Pater noster et Ave Maria cum Gloria Patri etc. Praeterea: Quolibet mense una Missa celebretur offeraturque in hunc finem. Item: Quolibet mense hoc fine fiat aliqua victoria sui aut actus virtutis etc. — Ad majorem Dei gloriam."

4) *R. P. Roothaan,* qui in Russia Societatem ingressus fuerat, in sua Encyclica de cultu SS. Cordis Jesu 8. Junii 1848. edita testatur, in Russia „eam in omnium animis inhaerentem ac defixam fuisse sententiam, quod servata in illo imperio esset non sine prodigio Societas quodque paulatim augeretur, *id SS. Cordi* in acceptis referendum esse, et porro, quod speraretur de *futura ejus restitutione* in universum orbem, id pariter *ab eodem SS. Corde* unice fuisse sperandum . . . Quare omne Societatis incrementum inde potissimum pendere, si magno zelo cultus hic tum in nostris tum in aliis promoveretur, omnibus erat persuasum".

5) *Magnani,* olim Provinciae Venetae adscriptus, postea in Collegio Polocensi in Alba-Russia Professor, (in Commentario de cultu SS. Cordis apud Patres Soc. Jesu in Alba-Russia 1784.) scribit (apud Nilles p. 183. ed. 5.): „Superiores nostri ingenue fatentur et inculcant saepissime nihil se in Societate servandâ aut valuisse aut effecisse; divino et singulari prorsus consilio ac providentia negotium isthoc stetisse. Imo vero confidimus, non in Russia modo conservandam esse a D. O. M. Societatem Jesu, sed et hinc dilatandam ac in universo orbe reparandam atque in pristinum et illustriorem adhuc statum restituendam. Piissimi et amantissimi Cordis Jesu bonitas et liberalitas haec nos modeste simul et audacter petere et sperare docet. Hujus

Sanctissimi Cordis cultus plurimum hic efflorescit. Praeter maxime solemnem singulis annis festivitatem, cui etiam triduanas preces praemittere solemus, per omnia nostra Collegia quot mensibus tum proposita plenaria indulgentia, tum augustissimo Sacramento cum pompa exposito, tum verbis in concione de illo ad populum additis alitur et renovatur hoc pietatis solidissimum exercitium, quod caritas Cordis Jesu ad moderna tempora reservavit, ut recalesceret jam senescens et in amore Dei tepescens mundus (S. Gertrud.). — Huic divinissimo Cordi A. R. P. noster (Czerniewicz) adscribit, quidquid felicitatis nostram in Societatem hîc derivavit. R. P. Franciscus Kareu Provincialis studiosissime ejus cultum inter nostros externosque procurat . . . Hanc devotionem occultum tacitumque credimus fontem bonorum jam acceptorum, hanc speramus fore scaturiginem complurium adhuc beneficiorum, quae Societati et per eam Ecclesiae praestabuntur. Veneremur, amemus, imitemur hoc Cor, unde bona nobis omnia profluxerunt.“ (Scripta haec sunt a. 1784. die 21. Mart. vet. styl., h. e. die 1. April. Kalend. Gregorii.)

6) *R. P. Czerniewicz,* Vicarius generalis Societatis Russiacae, in Encyclica 8. Maji 1784. Societatem ad propagandam devotionem SS. Cordis excitans scribit: „Haud dubiis argumentis constat placuisse Domino, ut Societas Jesu, quemadmodum ipsius sanctissimo nomine insignita est,

ita peculiariter ad se pertinere existimet sollicitam curam propagandae per universum orbem devotionis erga divinissimum Cor suum. Id, quod a nostris in variis orbis partibus, praesertim in Italia, feliciter propagari coeptum est, ut adorandum Cor illud palam facere dignatum sit, communem sibi esse causam cum Societate. Nemo enim illorum fuit, qui sacrilego ausu contra cultum ejusdem divinissimi Cordis niti non dubitarunt, qui non prius Societatem Jesu perditum ierit. Neque vana spes est (quod jam communis plane vox populi fidelis vaticinari coepit), *tum Societatem nostram in integrum restituendam,* quum devotio erga Cor Domini nostri insigni nostrorum opera ceperit incrementum. Id, quod facile crediderit quisquam, si animum serio ad id adverterit, Societati nostrae hoc rerum statu, quando omni humana spe penitus destituta est, nihil aliud superesse, quam ut totam suam spem ponat in sola misericordia praepotentis dexterae Excelsi. Atqui clementiae et bonitatis divinae thesauris infinitis nonne is potitus censendus esset, cui ad thesauri ejusmodi fontem, amoris sedem, gratiarum promptuarium, ad Cor scilicet Domini Jesu, aditum reserare datum esset?“ (Ap. Nilles ib. p. 184.)

7) *In Congregatione generali Polocensi secunda,* a. 1785. habita (in qua electus fuit Vicarius gen. P. Gabriel Lenkiewicz), sancitum est, „ut praeter triduanam ante festum SS. Cordis devotionem a R. P. N. Stan. Czerniewicz praescriptam addatur

singulis diebus oratio de SS. Corde post Litanias de omnibus Sanctis ultimo loco orationum recitanda, atque ut diebus Sabbati consuetis Litaniis de omnibus Sanctis praemittantur Litaniae Lauretanae" (Institutum S. J. edit. Rom. 1870. p. 423. sq.).

8) *Epistola Patris Schedler* (qui Socius Magistri Novitiorum et Concionator Germanus Polociae erat) Polociae data 1. Nov. 1789., a P. Rhomberg e germanico ideomate in latinum conversa haec habet inter alia: „Deum velle, ut omnium virium conatu adnitamur (nos Societatis homines) augere in nobis et in aliis venerationem et cultum SS. Cordis Jesu; dependere enim inde nostram *conservationem et dilatationem* atque insuper gratias innumeras, quas Deus statuerit profundere in eos, qui ipsimet in eo cultu ferverent aut in aliis (eum) promoverent." Id *ex arcano divinitus patefacto* cognitum fuisse, dicit P. Schedler in eadem epistola (cf. Encycl. R. P. Petrucci, Vicarii gen., 21. Junii 1820. edita de devotione erga SS. Cord. Jesu et Mariae, ap. Nilles p. 185.).

9) *P. Tiberius Sertori* ex Italia eodem anno 1789. Mutina ad Praepositum Vic. Gen. scribit de pietate erga SS. Cor Jesu ab alumnis Soc. Jesu promovenda, animam cum Deo conjunctam atque a viris prudentia, pietate et doctrina praestantibus examinatam et probatam *divinitus fuisse edoctam,* „Deum omnino velle, ut ope Patrum Societatis Jesu, qui in Alba Russia versantur, devotio ad

divinissimum Cor Jesu amplior ac ferventior reddatur, utpote ex quo pendeat *specialis tutela conservatio et ampliatio residui Ordinis*" (cf. Nilles p. 186.).

10) *R. P. Lenkiewicz,* Vicarius gen., a. 1794. ad omnes Collegiorum Rectores literas dedit grati in SS. Cor Jesu animi testes, in quibus inter alia haec ait:

„Ex literis (Patris Sertori), quas cum Rev. V^a^ communico, apparet luculenter, quam bonus et misericors sit Dominus, qui nos ad serviendum sibi fidelius ferventiusque peramanter invitat et hortatur; et quid a nobis peculiariter velit, illud suavissima edocet admonitione, qua non commoveri magna ingrati ac perversi animi durities foret. Nullus igitur dubito, quin Rev. V^a^ cum suis sociis omnia diligenter media sit adhibitura, ut devotio ad Sacratissimum Cor Jesu magis magisque animis fidelium instilletur, propagetur ac stabiliatur. Id quod sibi praecipue demandatum putent ii omnes, quibus tum instructio, tum directio animorum, tum munus magisterii in scholis oblatum est, ut scilicet adhibeant discretum, sed ferventem et constantem zelum in promovendo et ampliando illo cultu et amore divini Cordis, a quo infinita diligentibus fluunt bona" (apud Nilles p. 186.).

De R. P. Kareu, successore R. P^is^ Lenkiewicz, vide supra 5) testimonium P^is^ Magnani. „In iis autem, quae postea qua Generalis gessit, nihil

scire, sentire nihil videbatur nisi amabilissimum Cor Jesu“ (Nilles p. 187.).

CAPUT XIX.

Cultus SS. Cordis in Societate restituta singulari ratione florere debet et floret.

ARTICULUS I.

Gratitudo erga SS. Cor exigit, ut Societas restituta in cultu ejus exercendo et propagando flagret.

In Societate abolenda, in Russia conservanda et restituenda singulari ratione internus nexus elucet inter Societatem et cultum SS. Cordis, ita ut restitutio Societatis in universo orbe *peculiaris gratia SS. Cordis Jesu esse videatur;* quare exigit gratitudo erga idem SS. Cor, ut cultus ipsius in restituta Societate singulari ratione floreat ejusque propagatio tum in nobis tum in aliis promoveatur, idque eo magis, quod haud dubie finem, ob quem Societas restituta est, intime cum illo cultu cohaeret, per quem restituta est. Sane per hunc cultum SS. Cordis Jesu Societas Jesu recens „Missionem quandam magnam“ habere videtur ab illa paulo diversam, quam olim habuit. Sicut enim Societas in Europa olim haeresi potissimum opponebatur et Religioni Catholicae propugnaculum contra apostasiam ab Ecclesia, quam „reformationem“ vocant, non sine gloria effecta est: ita nostro tempore magis *apostasiae ab omni prorsus fide divina per Rationalismum et Materialismum*

quae per caritatem Liberalismo frigescentem praeparatur, a Dei providentia, etsi in humiliori quam olim conditione, opponi videtur.

ARTICULUS II.

Recenti Societati munus incumbit SS. Cor maxime colendi et cultum hunc propagandi, cum tempora nostra magis quam praeterita esse videantur „aera SS. Cordis Jesu".

Quamvis jam olim tempore Societatis antiquae cultus SS. Cordis late propagatus esset multumque floreret, nihilominus nostris temporibus demum:

a) dies festus SS. Cordis ex praecepto Pii IX. in universa ecclesia per Officium et Missam propriam celebratur; — nostris temporibus

b) Maria Margarita Alacoque ab eodem Pontifice Pio IX. Beatarum Virginum catalogo adscripta est; — nostris temporibus

c) Apostolatus orationis [1] conjunctus cum cultu SS. Cordis introductus et hac ratione ipse hic cultus facillime et latissime propagatus est; — nostris temporibus

d) exemplo prorsus novo libelli periodici de cultu SS. Cordis et Apostolatu orationis variis linguis in diversis terrae partibus editi latissime in populis diffunduntur, ut sint „praecones seu nuntii Divini Cordis Jesu" (Sendboten des gött-

[1] Quam aptus sit „Apostolatus orationis" ad spiritum apostolicum Societatis in nobis fovendum, per se elucet et jam supra advertimus in nota ad art. I. cap. VII.

lichen Herzens Jesu). — His omnibus effectum est, ut populus catholicus

e) magis quam unquam prius in variis omnisque generis miseriis et necessitatibus hujus vitae ad Cor Jesu confugeret, et ingens numerus eorum esset, qui, quod rogaverant, impetrarunt notumque fecerunt (vide die zahllosen Gebetserhörungen im Sendboten d. göttl. Herzens); — nostris temporibus

f) plurimae Ecclesiae et arae in honorem SS. Cordis exstructae, plurimae dioeceses et domus religiosae in diversissimis terrae partibus singulari cultu SS. Cordi Jesu solemni ritu consecratae sunt; — nostris temporibus

g) devotio et sodalitas „Dominae nostrae a SS. Corde Jesu" nuncupatae (unserer lieben Frau vom heiligsten Herzen) a Pio IX. approbata et in hunc finem propagata est, ut cultus SS. Cordis Jesu magis augeretur, si cum cultu SS. Matris Jesu conjungeretur; — nostris temporibus denique

h) Pius IX. Encyclica ad universam Ecclesiam missa omnes fideles invitavit, ut certo die certaque formula precatoria se ipsos SS. Cordi Jesu devoverent.

Jam vero quis non videat, Societatem Jesu hac „aera SS. Cordis" magis quam prius incumbere oportere (ut reipsa incumbit), ut SS. Cor ardenter colat ejusque cultum pro viribus in aliis promoveat.

ARTICULUS III.

Spiritus apostolicus Societatis exigit, ut peculiare remedium pro malis temporum nostrorum, quod in cultu SS. Cordis situm est, diligenter a nobis adhibeatur.

Cum tempora nostra sint „aera SS. Cordis“ et cum providentia Dei varias devotiones variorum temporum remedia esse velit (praeter promissiones gratiarum amplissimarum), elucet *generatim*, cultum SS. Cordis esse remedium peculiare pro malis temporum nostrorum. Sed etiam juvat id accuratius considerare spiritum cultus SS. Cordis cum spiritu temporum nostrorum comparando.

Spiritus et mala temporum nostrorum.	*Spiritus et fructus cultus SS. Cordis.*
1. Apostasia a Christo.	1. Arcta conjunctio cum Christo.
2. Infidelitas plena magis magisque propagata.	2. Viva fides nutrita per caritatem SS. Cordis.
3. Defectus spei, Pessimismus; desperatio invalescens ob mala vitae socialis et miseriam plurimorum; suicidia multiplicata.	3. Augmentum spei per considerationem infinitae misericordiae et clementiae Sacratissimi Cordis Jesu.
4. Frigescens caritas erga Deum et Christum. Indifferentismus.	4. Caritas accensa per Cor Jesu inflammatum; fervor in vita Christiana.
5. Vita catholica etiam exterior languescens, tepor et claudicatio in utram-	5. Vita catholica etiam exterior efflorescens, frequens usus Sacramento-

que partem Liberalismo propria.

6. Oppressio aperta aut occulta Ecclesiae, animus indifferens vel inimicus erga Summum Pontificem.

7. Materialismus theoreticus et practicus.

8. Immersio in terrenas delectationes, taedium bonorum aeternorum.

9. Studium nimium lucri temporalis, egoismus dominans in oeconomia privata et publica, quo minus opulenti a ditioribus exhauriuntur et in miseriam conjiciuntur. Inde:

10. Quaestiones sociales eaeque gravissimae: quaestio opificum manu et operariorum machinis in fa-

rum, societates catholicae florentes Liberalismo oppositae.

6. Per conjunctionem cum Christo amor Vicarii Christi; energia in defendendis juribus Ecclesiae, sponsae Christi.

7. Mens elevata ad supersensibilia et supernaturalia per amorem coelestem SS. Cordis. (In imagine SS. Cordis flammae sursum tendunt.)

8. Desiderium et usus cibi coelestis SS. Eucharistiae ob nexum peculiarem hujus cum SS. Corde, quod ibi praesens est.

9. Spiritus abnegationis et caritatis proximi, quae supponit vel includit justitiam erga alios, nutritus per Cor vulneratum et cruce ornatum (quod in imagine spinea corona circumdatum et cruce ornatum oculis se offert).

10. Solutio quaestionum socialium obtinenda, si omnes civium classes ex SS. Corde spiritum abne-

bricis laborantium necnon quaestio agraria.	gationis, justitiae commutativae et legalis atque caritatis haurirent.
11. Socialismus et Communismus paulatim propagatus.	11. Socialismus et Communismus impeditus per reformationes sociales spiritu justitiae et caritatis ex SS. Corde Jesu hausto.
12. Lenta omnium rerum mutatio per Liberalismum tum in familiis, tum in vita publica (per scholas Ecclesiae ereptas et artes innumeras Murariorum liberorum) perperam effecta.	12. Conservatismus catholicus vero progressui non obstans, sed vi regenerativa ex Corde illius hausta, per quem Ecclesia populos olim regeneravit, socialia mala sanaturus.

Igitur spiritus apostolicus Societatis, sicut ejus membra ad cognoscenda mala temporum nostrorum et ad studium quaestionum socialium[1] impellere debet, ita singulare remedium in spiritu SS. Cordis et fructibus illius situm negligere non sinit.

ARTICULUS IV.

Societas restituta reipsa cultum SS. Cordis Jesu non negligit.

1) Fervor in colendo SS. Corde Jesu et hoc cultu propagando a Patribus in Russia degentibus,

[1] Huic studio possunt inservire „Institutiones Ethicae et Juris naturae“ Oeniponte (Innsbruck) editae, ab auctore hujus libelli elucubratae.

postquam hi inde expulsi fuerunt, facile in Societatem recentem transiit. Vidimus supra (cap. XVIII.), quanto studio ibi Superiores aliique hunc cultum promovissent, quod etiam de illis, qui ultimo tempore Societatem regebant, valet:

R. P. Gruber († 1805.) et R. P. Thad. *Brzozowski* († 1820.) „pariter omni cogitatione curaque incumbebant in dilatandam Religionem SS. Cordis, ut adeo nullam in illo Imperio Societatis Ecclesiam paterentur, in qua non forent et imagines et altaria et sodalitates SS. Cordis, et in qua ejus festum non foret summa solemnitate celebratum, quemadmodum R. P. Brown Provinciae olim Rossiacae socius testatur“ . . . (cf. Nilles ibid. p. 187.).

2) Accedit, quod multi Patres, qui olim Societatis membra in diversis terris fuerant, Societati restitutae se aggregarunt; hos quoque ad id multum contulisse, ut fervor, quem juvenes in colendo SS. Corde conceperant, se renascenti Societati communicaret, conjici merito potest, ut e. g. de Ven. P. Pignatelli constat.

3) *R. P. Petrucci,* Vicarius generalis (ante electionem R. P. Fortis, Praepositi generalis), 21. Junii 1820. in praeclara Encyclica „de cultu SS. Cordium Jesu et Mariae“ Societatem restitutam ad fervorem in hoc cultu excitavit inter alia dicens: „Societas nostra diu stabit augeburque pro ratione illius sollicitudinis et sedulitatis, qua cultum atque amorem erga SS. Cor ejus et

in nobis et in aliis promovendum amplificandumque curabimus.“ Et in alio loco omnes adhortatus est, ut „certatim hunc in SS. Cor Jesu cultum exercere atque inter Christianos amplificare studerent persuasi, majorem Dei gloriam, quae hominibus Societatis potior est et rebus omnibus antiquior, inde maxime pendere universaeque Societati in hoc SS. Corde tutissimum refugii locum esse, arcem inexpugnabilem et securitatis pacisque tutissimum portum“ (apud Nilles p. 188.).

4) *R. P^em Roothaan praeclaras* Encyclicas litteras de cultu SS. Cordis scripsisse, jam supra commemoratum est (cap. XVIII. art. II. n. 4.).

5) *R. P. Beckx* cultum SS. Cordis pluribus modis promovit:

a) pluries preces et Sacrificia in honorem SS. Cordis praescripsit, semel etiam per longum tempus offerenda atque devotionem SS. Cordis qualibet feria VI. coram SS. Sacramento exposito privatim instituendam (quae reipsa per plures annos instituebatur), ut Societas contra temporum calamitates et persecutiones auxilium et tutelam ampliorem inveniret; idem R. P. Beckx

b) Decretum Congregationis Rituum[1] impetravit, quo Societati liceret, diem festum SS. Cordis

[1] Verba hujus Decreti sunt: „Alumni Societatis Jesu jam inde ex tempore, quo Beata Margarita Maria Alacoque divinitus illustrata investigabiles divitias Sacri Cordis amantissimi Redemptoris hominibus manifestare coepit, plurimum allaborarunt qua scriptis, qua praedicatione,

altiori ritu celebrare, i. e. ut festum 1. classis cum octava; idem R. P. Beckx

c) die 1. Januarii 1872. *universam Societatem,* etsi ex sua indole ab initio semper Christo Domino et Cordi ejus singulari ratione dicata fuit, eidem *speciali actu consecrare voluit,* postquam litteris encyclicis paulo prius editis omnia Societatis membra, ut *eodem illo die singuli et ipsi novo se modo SS. Cordi consecrarent,* verbis fervore et unctione plenis hortatus fuit [1].

---

qua exemplo ipsius Sacri Cordis devotionem promovere et cultum per orbem propagare. Ut autem in hoc ministerio exercendo, *quod velut sibi proprium praefatae Societatis alumni reputant, ardentiori in dies zelo inflammarentur*, Rmus Pater Petrus Beckx, ejusdem Soc. Praep. Gen., a SS. D. N. Pio Papa IX. supplicibus votis postulavit, ut in Kalendario Societatis suae amodo festum Sacratissimi Cordis Jesu Feria VI. post Octavam SS. Corporis Christi occurrens inscribi valeat sub ritu duplici 1. classis cum Octava. Sanctitas porro sua, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario attentis expositis de specialissima gratia precibus clementer annuere dignata est. Contrariis non obstantibus quibuscunque.

Die 28. Aprilis 1870.

C. Epus. Portuen. et S. Rufinae Cardin. *Patrizi*
S. R. C. Praefectus.

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

[1] Verba A. R. P. Beckx, quae in longiori illa Encyclica ad consecrationem Societatis ad SS. Cor Jesu spectant, haec sunt:

18. „Cum vero de spe fovenda animisque erigendis sermo mihi est, cohibere me non possum, PP. FFque CC.,

6) Praeter hos conatus Superiorum totius

---

quominus verbis Apostoli vos adhorter, ut ‚adeamus . . . cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno' (Hebr. 4, 16.). *Cor videlicet* sanctissimi Servatoris nostri Jesu Christi vobis ostendo, et *ad illius amorem et cultum, quanta possum maxima animi contentione, vos invito.* O quantum inde solatii, quantum auxilii sperare nobis licet! Quo impensius hunc amorem et cultum in nobis enutriemus et fovebimus, eo securius in tempore malo latebimus in hac caverna maceriae atque abundantius in nos manabunt refrigerii aquae de fontibus Salvatoris ejusque divino Spiritu replebimur; adeo ut, si huic sanctissimo Cordi nos omnino devoveamus, si in illo nostrum figamus domicilium, illud in nobis et de nobis eventurum sit, quod de se fatebatur Apostolus: ‚Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus' (Gal. 2, 20.). Ille enim in nobis vivet, cujus sensa mentem voluntatemque nostram omnem possidebunt: atque ita nobis cum Christo caritate conjunctis ejusque virtute roboratis cum eodem Apostolo exclamare licebit: ‚Quis ergo nos separabit a caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? (Sicut scriptum est, quia propter te mortificamur tota die: aestimati sumus sicut oves occisionis.) Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro' (Rom. 8, 35—39.). Ecquis porro non miretur, quis non revolvat tenerrimo mentis affectu abundantissimam coelestium donorum copiam, quam Dominus Jesus sanctissimi sui Cordis cultoribus promisit, quamque nobis certo

Societatis plurimum certe ad id, ut cultus SS. Cordis magis magisque floreret, contulerunt, quae

---

impertietur, si nos ex animo sibi devotos esse conspexerit? Ceterum de natura hujus cultus deque charismatis, quae illum consequuntur, vos apprime docti estis: illud heic unum addam, *optare me vehementissime, ut quotquot in Societate vivimus, quam maxime devoti huic SS. Cordi simus fideniterque* in necessitatibus nostris ad illud gratiae coelestis sanctuarium confugiamus.

19. Quapropter, quod in tanta temporum acerbitate communi solatio erit multumque alacritatis et fiduciae inter adversa, quae patimur vel timemus, allaturum est, maxime cupio, *Societatem nostram totam divino illi Cordi peculiari consecrationis actu dedicare seipsam ac mancipare.* Quamvis enim nihil dubito, quin omnes Societatis filii hunc devotionis affectum habeant eumque religiose foveant, tamen quia mira est conjunctionis efficacitas in bono, quippe quam Christus saepe ac praesertim in ultima coena tantopere commendavit, erit procul dubio aeque pium ac salutare, ut etiam *per aliquem communem actum, qui sit quodammodo totius Societatis vox, sacratissimi Cordis amori et cultui nosmet in perpetuum devoveamus.* Ipsa porro temporis iniquitas nos impellit, ut nullum omittamus obsequii genus, quod juxta spiritum nostrae vocationis Salvatori nostro acceptum sit nobisque in hac tribulatione auxilium impetrare possit. Quare Praepositos Provinciales et reliquos Superiores instanter invito, ut praemonitis subditis ac pro opportunitate dispositis nostri omnes primo die proximi mensis Januarii [1872.], quo die mysterium Circumcisionis D. N. J. Ch. recolitur, *et ego hic Romae, Deo favente, Societatem universam peculiari consecrationis actu sanctissimo Cordi Jesu devovebo,* eundem hunc amoris et devotionis actum una mecum communiter expleant. Eja PP. FFque mihi carissimi, dies quidem mali sunt,

Superiores Provinciarum [1], Rectores Collegiorum et Domorum, Magistri Novitiorum, Instructores

---

sed ‚in diebus peccatorum corroboremus pietatem' (Eccli. 49, 4.); quo fiet profecto, ut omnia nobis per Dei gratiam cooperentur in bonum. *Dulce sane memoratu nobis esse debet, quod amabilissimus dux noster Jesus, quum B. Margaritae Cordis sui cultum revelavit, eundem benignitate plane singulari Societati nostrae nominatim commendatum et commissum voluit. Qui ergo eximium hoc dilectionis suae pignus Societati credere dignatus est, hanc certe obsequii et devotionis significationem ab eadem Societate vicissim oblatam pari recipiet benignitate.* Praesertim quod gratissimum illi est fidei et amoris testimonium ab iis acceptum, qui propter nomen ejus in tribulatione versantur. *O felix nimium Societas, si hoc ei contingat, ut quantum ab inimicis propter nomen Dei foris oppugnatur, tantum per uberiora SS. Cordis munera ditetur interius et proficiat in caritate!* Quid enim aliud optamus, RR. PP. FFque in Christo CC., *quidve per hanc communem consecrationem efficere intendimus*, nisi ut, temporum calamitatibus admoniti, arctius Domino adhaereamus, atque in dies magis *spiritu nostrae vocationis informemur.* Hoc autem consequi haud aegre poterimus, dummodo hac accepta occasione, susceptas jam in votorum nuncupatione obligationes et concepta toties in spiritualibus exercitiis emendationis vitae desideria meditate recolentes et Christi amore confirmantes, confugiamus tandem ad Cor sanctissimum Salvatoris nostri etc." (Quaedam adduntur de virtutibus diversis hoc cultu comparandis.)

In fine impense commendatur cultus purissimi Cordis B. Virginis conjungendus.

[1] Ita e. g. Provincia Austriaco-Hungarica hortante R. P. Georgio Patiss Praep. Prov. die festo S. Lanceae et clavorum D. N. Jesu Christi a. 1860. se singulari modo

Tertiae Probationis, Praefecti spiritus et alii multi verbo, exemplo, scriptis libris, editis libellis periodicis (die Sendboten des göttlichen Herzens Jesu, Messager du Sacré Coeur etc.) ubique terrarum egerunt, ut hic cultus amabilissimus et utilissimus nobis et aliis familiaris evaderet.

7) Congregatio generalis 23. anno 1883. habita de Cultu SS. Cordis hoc Decretum edidit, quod est XLVI:

„Tamquam felix ac fausta conclusio laborum offertur Congregationi postulatum ad cultum SS. Cordium Jesu et Mariae inter nos augendum et promovendum. Lecto autem Patrum Deputatorum judicio, omnes Patres assurgentes unaque voce acclamantes probaverunt, quae sequuntur:

„a) Declarandum esse, Societatem Jesu lubentissimo et gratissimo animo munus suavissimum acceptare et suscipere a D. N. Jesu Christo ipsi commissum devotionis erga divinissimum Cor suum colendae, fovendae ac propagandae.

„b) Statuendum, ut dies festus SS. Cordis inter solemniores in Societate habeatur et quotannis majori, qua fieri possit, pompa celebretur, *renovata eodem die* in singulis domibus oratione abhinc paucis annis ab Adm. Rev. P. N. praescripta, qua Societas se totam SS. Cordi Jesu devovit ac sacravit."

SS. Cordi consecravit, in cujus rei memoriam prima feria VI. cujusque mensis in ambulacro aliquo cujusque domus lampas collucet coram imagine SS. Cordis.

c) Punctum de SS. Corde Mariae agens allatum est jam supra cap. XV. art. III.

8) Sunt inter nostros, qui, ut omnes esse debemus, non tantum Apostoli esse volunt SS. Cordis ejusque cultus, sed qui etiam speciali voto se obligant cultum hunc propagandi. Hanc rem non esse novam inde conjicere licet, quod tale votum in libro proponitur Novitiis et Scholasticis destinato, cui titulus: „Vitae spiritualis documenta ad usum Patrum et Fratrum Societatis Jesu, Gandavi 1851.“, ubi etiam formula quaedam consecrationis votum continentis exhibetur (Append. p. IV. sqq.) [1].

SECTIO IV.

De causa materiali et formali Societatis Jesu.

I. De causa materiali.

Causa materialis generatim dicitur „illud, ex quo aliquid fit“, seu haec causa est „principium internum passivum et determinabile alicujus“,

[1] Cum vota, si temere fiunt, facile occasio esse possint peccatorum vel saltem inquietis conscientiae et ideo non desint, quibus omnia hujusmodi vota displiceant, advertendum est, votum propagandi cultum SS. Cordis ita fieri posse, ut a) obligatio sub peccato levi tantum suscipiatur; ut b) statuatur, ei satisfieri per pauca opera anni decursu peracta, e. g. per donationem imaginis SS. Cordis, per breve colloquium vel brevem exhortationem colendi SS. Cor, vel si aliqua occasio actionis externae non occurrat, per internam orationem aliquam privatam; ut c) Confessarius

quod ut pars constituit; e. g. lignum, ex quo statua conficitur, materia, ex qua membra hominis constituuntur; *causa formalis* vero est illud, „per quod intrinsecus determinans aliquid fit“ seu est „principium intrinsecus determinans et uniens causam materialem et illud totum, quod ipsa cum materia ut pars altera constituit“; e. g. figura statuae est causa formalis determinans lignum et statuam, ut sit statua; anima humana est causa formalis, quatenus intrinsecus determinat materiam ad id, ut sit corpus humanum, et quatenus est principium vitae triplicis ac unitatis hominis.

Per analogiam quandam in similitudine fundatam cum corpore physico etiam in corpore morali cujuscunque societatis stabilis materia et forma distinguendae sunt, ita ut homines, ex quibus societas formatur, sint causa ejus materialis, vinculum morale vero, per quod iidem membra societatis fiunt et per quod uniuntur, sit causa formalis. — His praemissis causam hanc utramque in Societate Jesu consideremus.

CAPUT XX.

Delectus materiae a Societate adhibendus fini sublimi Societatis respondet.

Non quemlibet hominem Christianum esse vocatum et aptum ad id, ut Ordinem religiosum

---

quilibet obligationem tollere possit. Hujusmodi conditionibus servatis periculum nullum est, si Novitiis vel Scholasticis ferventioribus hoc votum permittatur.

ingrediatur, demonstratione non indiget; sed neque omnis homo ad statum religiosum aptus eo ipso aptus et vocatus est, ut sit membrum Ordinis apostolici, qualis est Societas Jesu.

ARTICULUS I.

Finis Societatis exigit, ut homines non sine magno delectu in eandem admittantur.

Supra consideravimus (sect. I.), finem Societatis esse gloriam Dei externam tum intensive tum extensive majorem per vitam contemplativam et activam in salutem et perfectionem aliorum aeque primario intentam, seu per vitam plane apostolicam obtinendam. Jam vero evidens est, finem hunc a Societate obtineri non posse sine magno delectu hominum, qui admittuntur. Etenim

1) finis hic valde *sublimis* est et studium serium *altae* perfectionis requirit; pauci autem inveniri solent, quibus a Deo datum sit et qui ipsi velint studium serium tam eximiae et arduae perfectionis adhibere; quare S. Pater Ignatius id clare perspiciens scribit (Const. P. I. c. 3. n. 1.):

„Quamvis caritas et zelus animarum, in quo se Societas exercet juxta Instituti sui finem, omnia hominum genera complectatur, ut eorum serviat spirituali utilitati ac ad beatitudinem consequendam in Domino juvet, ut tamen in Societatis ipsius corpus admittat, amplecti non debet, ut dictum est, nisi quos judicabit ad propositum Societatis finem idoneos.“ S. Patrem autem non facile ali-

quem idoneum habuisse, inde elucet, quod in Formula Instituti vocationem nostram vocat „pondus", „grandis debiti solutionem", „turrim" aedificandam.

Et in P. VIII. S. Ignatius ait (c. 1. n. 1.): „Ex parte subditorum juverit, *magnam turbam* hominum ad Professionem non admitti nec quoscunque, sed *selectos homines* etiam inter Coadjutores formatos aut Scholasticos retineri. *Multitudo enim magna eorum, qui vitia sua non bene domuerunt,* ut ordinem non fert, ita nec unionem, quae in Christo Domino Nostro tam necessaria est, ut bonus status ac procedendi modus hujus Societatis conservetur."

2) Finis Societatis valde *latus et extentus* est, ita ut magnam multitudinem et varietatem munerum et ministeriorum complectatur (cf. cap. V. art. I. n. 2.), inter quae etiam ardua et quae multas dotes supernaturales et naturales requirunt, non raro occurrunt. Jam vero si multi homines in Societatem admittantur, qui hujusmodi donis Dei carent, multa in ea membra erunt inutilia et nociva, cum Deus miracula ordinarie non faciat. E contrario vero, ut ait S. Ignatius (P. I. c. 2. n. 1.): „In universum loquendo de iis, qui admittendi sunt, *quo pluribus Dei donis naturalibus et infusis* praediti ad promovendum juxta Institutum divinum servitium, et quo certioribus experimentis perspecti fuerint, eo magis idonei erunt, ut in eam admittantur." Cf. etiam P. I. c. 2. n. 4.; c. 3. n. 16. et c. 1. n. 4. et 6.

Maxime vero ex integro Examine Constitutionibus praemisso elucet, quantopere S. Ignatius sollicitus fuerit de delectu materiae fini Societatis respondente, cum ibi de modo candidatos examinandi et de impedimentis admissionis accuratissime agat.

Consideratio hujus delectus aptissima esse potest ad humilitatis affectum in illis excitandum, qui jam in Societatem admissi sunt.

ARTICULUS II.

Quae circa dimissionem a Societate statuta sunt, ejus fini respondent.

Quamvis candidati non sine magno delectu admittendi sint, necessario conditio humana fert, ut inter admissos inveniantur, qui experimentis tentati ineptos se ostendant ad cooperandum cum reliquis, ut finem Societatis sublimem et latum consequantur. Quare ad delectum materiae etiam spectat, ut membra Societatis dimitti possint et debeant.

Profecto quo sublimior est finis Societatis et quo difficilior ejus assecutio, eo etiam facilior et frequentior occurrit dimissio. Quapropter sapienter statutum est, ut omnes prorsus, ne Professis quidem quatuor votorum et Praeposito generali ipso exceptis, e Societate dimitti possent. Illud tamen notandum, quo arctius quis corpori Societatis fuerit adstrictus, vel quo pluribus donis Dei ornatus sit, vel quo plus ei debeat Societas, eo

difficilius eum dimittendum esse. Hinc Novitii omnium facillime, votis Scholasticorum ligati minus facile, Coadjutores formati his difficilius, Professi quatuor votorum omnium difficillime dimittuntur.

Haec si considerentur simul cum praxi Societatis, qua reipsa multi ex Societate dimittuntur, apta sunt ad salubrem in nobis timorem excitandum, qui nos impellat, ut quotidie magnam perseverantiae gratiam a Deo rogemus.

ARTICULUS III.

Delectus materiae fini Societatis respondens talis esse non debet, ut singuli ad omnia sint apti.

Si humana conditio hac in terra spectetur, facile elucet, Societatem valde exiguam permansuram, si exigatur, ut singuli socii ad omnia sint apti. Neque id finis Societatis requirit; nam

1) generatim in nulla societate majori et stabili id requiritur, sed magna lex socialis: „divisio laboris“ (Arbeitstheilung) efficit, ut cooperatio socialis ex diversis et variis viribus resultet; eadem lex etiam non raro secum fert divisionem hominum cooperantium in diversas et stabiles classes, ut e. g. in societate civili; hoc ipsum in Societate nostra obtinet;

2) generatim societas stabilis organismo physico comparari potest, in quo diversa et varia membra distinguuntur, quorum alia alias habent functiones; ita etiam Societas nostra est organismus moralis physico similis.

3) Quo latior est finis alicujus Ordinis religiosi, eo etiam major est numerus ministeriorum et varietas; sed eo ipso etiam varietas quaedam in indole membrorum major esse poterit, ita ut etiam divisio laboris et diversitas classium sit major; jam vero cum finis Societatis nostrae sit latissimus, intelligitur, cur etiam varietas hominum sit in ea major et cur ipse S. Ignatius plures classes membrorum statuerit.

Duo inde consequuntur: unum est, in admittendis candidatis non nimium esse exigendum, alterum, non esse dejiciendum animum illi, qui, quamvis optimae voluntatis sit, non tamen omnia praestare potest, quae ab aliis fiunt. Nihilominus quilibet pro viribus se ad plura et majora aptum reddere debet simul et indifferentem, ut secundum Superiorum voluntatem diversis muneribus fungi possit.

CAPUT XXI.

Materia, ex qua Societas formata est, ostendit, in ea necessario multos defectus inveniri.

Candidati Societatis nonnunquam talem sanctitatem ei inesse sibi imaginantur, quae magis Angelis quam mortalibus convenit; alii saltem sibi imaginantur, magnos defectus non posse occurrere; quae illusio sane nociva est, praesertim si in ea amor Societatis fundamentum habeat praecipuum.

ARTICULUS I.

Necesse est morales defectus in Societate inveniri.

Si materia (e. g. lignum), ex qua artifex opus suum conficit, defectus habet, qui ab illa separari non possunt, ipsum etiam opus necessario defectu non caret. Materia autem, ex qua Societas formatur, necessario sunt homines „in statu naturae lapsae“ per Redemptorem quidem reparatae, sed ita, ut dona praeternaturalia, quibus Adam ornatus fuit, non sint restituta. *Omnes* itaque homines non tantum mortales sunt et multis malis physicis obnoxii, sed etiam inclinati ad peccatum, tentationibus internis et externis impugnati, ab ignorantia privativa et ab erroribus minime immunes. Quare *ubicunque* homines fuerunt (exceptis, ut per se patet, Christo Domino et B. Virgine) sunt et erunt, necessario etiam defectus morales et peccata fuerunt, sunt et erunt. Quod neque delectus magnus impedire potest, quamvis hic magnitudinem et multitudinem peccatorum minuat. Cum igitur nulla societas in hoc orbe terrarum inveniatur, in qua defectus et peccata non occurrant, aliud nec a Societate nostra nec ab ullo alio Ordine religioso exspectari potest; nec rationi consonum est sperare hac in terra, quod soli societati beatorum proprium est.

ARTICULUS II.

Etiam multos defectus, et interdum etiam graviores in Societate inveniri non obest ejus sanctitati.

1) Sanctitas cujusque societatis religiosae ex sanctitate finis, mediorum et legum pendet nec non ex studio serio majoris saltem partis membrorum servandi leges sanctas, quibus socii in cooperatione ad finem consequendum diriguntur. Jam vero hoc studium serium majoris partis membrorum consistere potest cum multis defectibus ipsorum et aliorum, qui negligentiores sunt, et etiam cum defectibus majoribus, dummodo aut corrigantur aut illi, qui deliquerunt, dimittantur, si emendari nequeant. Quod de sanctitate cujuslibet societatis religiosae, etiam de Societate Jesu valere debet.

2) Societas Jesu est, sicut alii Ordines, status perfectionis acquirendae seu est schola perfectionis altioris (cf. cap. I.); cum scholae autem indole etiam optimae non pugnat, ut defectus multi et interdum etiam majores committantur.

3) Defectus multi et etiam majores impedirent sanctitatem Societatis, si defectus per se, vi finis vel mediorum committerentur et a legibus praeciperentur, aut, si de sanctitate in concreto agitur, si plerique a sanctitate finis, mediorum et legum impune et ordinarie deflecterent. Sed multos defectus et interdum etiam majores committi, non est signum talis corruptionis.

4) Ex his rationibus patet, cur nemo ratione recta utens singulorum defectus toti societati adscribere possit. Sane sicut e. g. peccata unius militis non sunt peccata totius exercitus, vel peccata unius civis peccata totius civitatis, ita nec defectus singulorum sociorum sunt defectus totius Societatis.

5) Adde, quod defectus non raro ad perfectionem Societatis conferunt. Profecto defectus aliquorum sunt occasio patientiae et exercitii aliarum virtutum pro reliquis; ita e. g. subditi perfici possunt per defectus Superiorum et Superiores per defectus subditorum.

6) Denique adverte, Ecclesiam sanctam esse, quamvis in ea peccatores existant, et collegium Apostolorum fuisse sanctum, quamvis Judas in eo fuerit etc.; ita etiam Societas sancta est, quamvis in ea tepidi inveniantur et (ex occulta Dei providentia) non raro diu in ea vivant, qui postea a vocatione deficiunt.

ARTICULUS III.

Defectus, qui in Societate committuntur, nobis incitamento esse debent perfectionem tum in nobis tum in aliis promovendi.

1) Sunt, qui cadunt animo, si suos vel aliorum defectus considerant; sed immerito, ut partim ex Articulo I. elucet, partim ex eo, quod gratia vocationis nobis adest, qua illos paullatim emendare possimus.

2) Pessimismo cuidam, ut ajunt, se dare non convenit statui perfectionis acquirendae, qualis est Societas; cognitio defectuum potius primus gressus sit oportet in via emendationis; sicut enim qui circa defectus prorsus caecus est, eos non corrigit, ita neque ille, qui nimium eorum inquisitioni inhaeret et animum abjicit, eos emendare solet.

3) Cognitio defectuum ad humilitatem juvare potest; humilibus autem Deus dat gratiam, qua progredi in via perfectionis possimus; quod tum de singulis, tum de Societate universa valet.

II. De causa formali.

Forma Societatis in tribus consistit: 1) in subjectione Superioribus et legibus debita, 2) in obligatione votorum et 3) in spiritu fini Societati proprio conformi.

Sicut enim in organismo physico anima est forma, quatenus per animam materia *determinatur* ad id, ut sit corpus certae naturae, et quatenus anima est *principium internum unitatis:* ita in Societate, quae est organismus moralis, forma per analogiam dici potest omne vinculum morale Societati proprium, igitur omnia officia et jura, praecipue vero:

1) *subjectio* Superioribus et legibus debita; nam a) per hanc libere susceptam candidati corpori Societatis inseruntur et primo determinantur ad id, ut sint Socii Jesu, et b) haec subjectio est

vinculum omnibus commune, quod tamdiu durare debet, quamdiu singuli sunt membra Societatis;

2) *obligatio votorum* Societati propriorum, quae a) constituit singulos in statu religioso proprie dicto Societatis et b) unitati per subjectionem sub Superioribus et legibus jam prius susceptam inchoatae firmitatem confert;

3) *spiritus* denique fini Societatis proprio conformis, qui efficit, ut a) qui jam sunt Socii Jesu, sint Socii Jesu *boni* et ut b) qui jam sunt uniti, in unitate sua se perficiant et sint „cor unum et anima una", ut dici solet.

Quamvis subjectio sub Superioribus et legibus jam ante vota cum ipso ingressu incipiat, tamen opportunius videtur prius de votis quam de illa subjectione agere.

CAPUT XXII.

De votis Scholasticorum, Coadjutorum formatorum et Professorum.

ARTICULUS I.

De votis Scholasticorum.

Haec vota illos, qui ea emittunt, vere ac proprie Religiosos efficiunt seu in statu perfectionis altioris acquirendae constituunt; nam

1) haec vota conditionem vitae prorsus stabilem reddunt, cum ex parte voventis vota sint perpetua;

2) haec conditio vitae stabilis seu status obligationem secum fert tendendi ad perfectionem altiorem; qui enim promittit paupertatem, castitatem et obedientiam perpetuam, se obligat ad haec tria media praecipua perfectionis adhibenda, quibus praecipua ejus impedimenta removentur (cf. cap. II. art. I.); igitur per haec vota status perfectionis acquirendae oritur; et quidem ita, ut qui ea emittit,

3) fiat Religiosus Societatis; quia vota haec emittuntur coram Sacerdote ad id a Societate *delegato;* quare ille, qui vovet, se *ipsum tradit Societati,* quod etiam inde elucet, quod „obedientiam perpetuam *in Societate Jesu*“ vovet (cf. formulam votorum); neque obstat, quod Societas ex sua parte vota haec nonnisi conditionate acceptat nec se obligat ad voventem retinendum; nam nihilominus

4) traditio *ex parte voventis* est *absoluta et perpetua;* traditioni autem non respondere aequalem acceptationem ostendit solum, Scholasticos corpori Societatis nondum perfecte inseri; ceterum

5) omne dubium, quod aliquando adversarii Societatis moverant, sublatum est per Bullas Gregorii XIII. „Quanto fructuosius“ et „Ascendente Domino“, in qua declaratur, „quoscunque, qui in ipsam Societatem admissi biennio probationis a quolibet eorum exacto tria vota substantialia praedicta tametsi simplicia emiserint aut emittent in futurum, vere et proprie Religiosos fuisse et esse

ac fore et ubique semper et ab omnibus censeri et nominari debere non secus atque ipsos tum Societatis tum quorumvis aliorum Regularium Ordinum Professos"; quare mirum non est, fugitivos e Societate post vota Scholasticorum emissa apostatas esse et apostatarum poenis subjacere.

Ex his elucet a) vota haec a votis solemnibus non quoad substantiam, sed modo acceptationis et effectibus differre (ut infra dicetur) et ideo tantum „simplicia" dici.

Ex his elucet b) illos, qui haec vota emiserint, non posse sine gravi ratione dimissionem e Societate, qua vota solvuntur, petere vel desiderare, quin peccatum mortale committant.

Ex his elucet c) Societatem in dimissione legitima non dispensare a votis, sed ea irritare vel solvere, quia tacitam conditionem involvunt: „quamdiu Societas voventem retinere velit"; si enim Societas aliquem Scholasticorum votis ligatum non amplius retinere vult, conditio cessat, sub qua vota emissa fuerunt.

Advertendum denique d) Scholasticos, quod attinet dimissionem, arbitrio Superiorum non esse commissos. Quamvis enim Societas, cum acceptatio votorum solum conditionata sit, non habeat obligationem justitiae ex contractu aliquo oriundam voventem non pro lubitu dimittendi, Superiores nihilominus coram Deo graviter contra diversas virtutes peccare possent, si in dimittendo temere sine gravi ratione procederent.

Effectus singulorum votorum hi sunt:

1) *Votum paupertatis* efficit a) ut liber usus bonorum temporalium, quae jam ante ingressum propria erant, sine consensu Superiorum licitus non sit et dispositio facta a Superioribus irritari possit, dominium vero ipsum in bona illa non tollit; efficit b) ut acceptatio bonorum ab externis donatorum sine consensu Superiorum sit illicita, quamvis invalida non sit, si a Superioribus non exigatur, ut reddantur; efficit c) ut etiam usus rerum Societatis invitis Superioribus sit illicitus, donatio vero externis hominibus sine facultate Superiorum facta sit invalida.

2) *Votum castitatis* efficit a) ut quodlibet peccatum contra castitatem secum ferat alterum contra virtutem religionis, cujus actus est votum, et quidem contra fidelitatem in promisso Deo facto servando; efficit b) ut, quamdiu legitime dissolutum non est, matrimonium subsequens sit invalidum, praecedens vero matrimonium ratum non dissolvit.

3) *Votum obedientiae* Superioribus potestatem tribuit ob gravem rationem sub peccato gravi subditum obligandi in omnibus, quae ad finem Societati proprium conferunt. Signum talis praecepti sunt verba a Superioribus adhibita: „Praecipio in virtute sanctae obedientiae“ vel „in nomine Christi“.

4) *Quartum votum* simplex, quod a Scholasticis simul emittitur, est promissio *Societatem ingrediendi*

in strictiori sensu et quidem cum obligatione acceptandi gradum Professorum aut Coadjutorum spiritualium, prout Praeposito generali visum fuerit (quin indifferentia requiratur quoad gradum Coadjutorum temporalium).

Vota, quae a *Coadjutoribus temporalibus* post tirocinium emittuntur, a votis Scholasticorum non differunt, nisi quod quartum votum solum obligat ad gradum Coadjutorum temporalium formatorum suo tempore acceptandum sine indifferentia quoad gradus alios.

Consideratio horum votorum illos, qui eos emittunt vel emiserunt, excitare debet *ad vivendum pro Deo secundum spiritum apostolicum Societatis,* cui vovens se absolute et perpetuo tradit et consecrat; simul tamen eosdem commonefacit, ipsos nondum ad terminum pervenisse, sed usque ad tempus votorum publicorum in probatione quadam latius dicta versari.

ARTICULUS II.

De votis Coadjutorum formatorum.

Haec vota, quae non privatim coram nostris solis, sed in Ecclesia publice etiam coram externis fiunt, sunt simplicia; quamvis enim ritu solemni emittantur, solemnitate tamen illa, quae dicitur juridica, carent neque a votis Scholasticorum differunt nisi per hos effectus:

1) Scholastici per vota sua constituuntur in via, Coadjutores vero per vota publica constituuntur in termino; ideo

2) Coadjutores formati strictiori modo in corpus Societatis inserti sunt, quam Scholastici; quare etiam graviores rationes requiruntur ad id, ut dimitti possint.

3) Haec vota Coadjutores incapaces reddunt dominii bonorum materialium et inhabiles ad haereditatem accipiendam.

4) Haec vota ita emitti solent coram nostris et externis, ut in manu alicujus, qui ea admittit, fieri dicantur, et probationem multo longiorem supponunt.

Qui vota haec emittunt, ut sint *Coadjutores spirituales*, Sacerdotes esse debent et in litteris bene instructi; in *Coadjutoribus vero temporalibus*, qui sunt laici, non requiritur eruditio.

Cavendum est, ne hic gradus minus, quam par est, aestimetur; nam „ut quis ad hunc gradum admittatur, oportet Societati esse satisfactum de ejus vita deque bono exemplo et talentis ad eam juvandam“ (Const. P. V. c. 2. n. 4.), et quoad Coadjutores aeque ac Professos „tanquam certum ducitur viros spirituales futuros, et qui sic in via Christi Domini profecerint, ut per eam currere possint“ (P. VI. c. 3. n. 1.).

ARTICULUS III.

De votis solemnibus Professorum.

Vota solemnia Professorum a votis simplicibus Scholasticorum et Coadjutorum non differunt *quoad substantiam,* cum hoc discrimen neque ex natura votorum neque ex jure divino, sed tantum ex jure ecclesiastico proveniat. Discrimen igitur in diversis effectibus consistit, quos Ecclesia cum votis connectere voluit.

Discrimina inter vota solemnia et simplicia haec sunt:

1) Vota simplicia cum legitima dimissione *solvuntur,* vota solemnia *minime;* vota simplicia enim, ut supra dictum est, ex parte voventis quidem absolutam traditionem continent et perpetua sunt, ex parte Societatis vero acceptationem tantum conditionatam habent, quae revocari possit; vota autem solemnia ex parte tum voventis tum acceptantis omnino absoluta sunt; unde fit, ut a Societate solvi non possint et ideo etiam dimissos ligent, nisi Summus Pontifex dispenset, quod facere non solet, quamvis modum determinet, quo vota in posterum servari debeant.

2) *Votum paupertatis solemne* Professos (communi Ecclesiae jure) [1] *absolute inhabiles* reddit ad

[1] Cum votorum solemnitas sit Ecclesiae institutio, ut cum Suarez (de Relig. t. 3. l. 2.) diximus, facile intelligitur, non semper necessario eosdem effectus cum votis solemnibus connecti et fieri potuisse, e. g. ut in Belgio et in Gallia Religiosi solemniter professi in Ordinibus Regu-

omne jus proprietatis etiam post dimissionem habendum, votum simplex Scholasticorum tantum dominium utile impedit aut tollit, dominium directum relinquit; votum simplex Coadjutorum formatorum quidem utrumque excludit, sed hi effectus perdurant solum, *quamdiu membra sunt Societatis.*

3) *Votum castitatis solemne* omne matrimonium subsequens absolute dirimit seu invalidum reddit, quamvis post dimissionem iniretur (quod utique in Societate jam per Sacerdotium Professorum validum esse nequit); et praeterea dirimit praecedens matrimonium ratum, non consummatum; votum simplex vero solum ante dimissionem legitimam matrimonium subsequens invalidum reddit, praecedens non dirimit.

4) *Votum obedientiae solemne* efficit, ut Superiores tale dominium recipiant in voventem, ut irritare possint *omnes* promissiones, quas Professus post professionem sive Deo sive hominibus fecit; votum simplex vero solum efficit, ut Superiores irritare possint illas promissiones, quae obsunt fini Societatis.

5) *Votum quartum solemne,* quod Missiones respicit, ad commune votum obedientiae addit obligationem specialem, qua illa voti communis tum intensive tum extensive crescit; et quidem

larium dominii capaces essent et quidem ex voluntate Summi Pontificis salva voti paupertatis solemnitate. Cf. hac de re Nic. Nilles S. J., De juridica solemnitate votorum. Innsbruck ap. Felicianum Rauch, 1886.

a) *intensive*, quia hoc quartum votum est promissio specialis Summum Pontificem respiciens, cujus dignitas altior majore fidelitate digna est;

b) *extensive*, quia Professi hujus voti a Pontifice per Superiores vel directe missi in regionem aliquam α) proficisci debent etiam non petito nec accepto viatico et β) sine tergiversatione et excusatione, illa saltem, quae praeter expositionem rationum oppositarum etiam includat voluntatem non eundi.

Vi hujus voti Professi sub gravi obligatione tenentur esse parati ad obediendum circa missiones quascunque; in particulari casu vero requiritur praeceptum stricte dictum, ut vi hujus voti illi graviter peccent, qui missionem certam suscipere detrectant.

Solemnitas hujus voti explicanda esse videtur analogice ad solemnitatem voti communis obedientiae, ita ut consistat in dominio absoluto Summo Pontifici collato, quo irritare possit omnes promissiones sive Deo sive hominibus post professionem factas, si fini missionum opponantur, ad quas obeundas Professus mittitur; quoad alios Religiosos enim Summus Pontifex solum potestatem habet a votis dispensandi, non vero vota et omnes reliquas promissiones irritandi.

Professi quatuor votorum corpori Societatis *intime* inseruntur, imo ipsi *soli praecipuam ejus partem constituunt.*

Cf. de his omnibus Suarez (De Relig. P. 3. l. 2. c. 5. sqq. et De Relig. Societ. l. 6. c. 4. Vide etiam Nic. Nilles S. J., De juridica solemnitate votorum.

ARTICULUS IV.

De quinque votis simplicibus Professorum.

1) *Primum* est, quo Professus promittit, „nunquam se acturum vel consensurum, ut quae ordinata sunt in Constitutionibus circa paupertatem, immutentur, nisi quando ex causa justa rerum exigentium videretur paupertas restringenda magis“. Hoc votum Suarez, De Rel. Soc. l. 6. c. 6. sqq., accurate explicat, cujus expositionis summa haec est:

Vi hujus voti Professis *duo sunt vetita:* a) „Si contingeret in Congregatione generali agi de hoc puncto, ferre suffragium vel consilium dare, ut paupertas relaxetur; et b) quocunque modo procurare, ut talis relaxatio fiat; adeoque hoc votum est *pure negativum* obligatque tantum ad non agendum. Si autem in aliquo eventu dubitaretur, an expediret hujusmodi relaxationem facere, *non videtur* (Suarez. n. 12.) *fore contra hoc votum* rem ipsam discutere, rationes in utramque partem proponere, et quid probabilius appareret, proferre totamque dubitationem et ejus rationes Summo Pontifici proponere, ut ipse statueret, quod toti Religioni magis congruere judicaret. Cum enim votum sit de bono meliori, *non potest bono majori Ordinis*

obesse; quare debet suppetere via salva voti obligatione Ordinis bono providendi. Etiam si Summus Pontifex ipse sua sponte relaxationem concederet, (eidem Suarez. n. 16.) probabilius esse videtur, Professos non teneri talem concessionem non acceptare.

2) *Secundum votum* est non ambiendi dignitatem vel praelaturam in Societate. Per dignitatem vel praelaturam (quae in Societate prorsus idem significant) intelligitur a) munus cum ordinaria jurisdictione conjunctum, i. e. munus Praepositi Generalis, Provincialis et Superioris localis; et probabiliter b) munus membri Congregationis generalis, quae supremam in Societate ipsa potestatem habet.

Hoc votum obligat ad abstinendum omni actione *externa,* quae (directe vel indirecte) fit cum intentione ad dignitatem aliquam obtinendam.

3) *Tertium* votum est non ambiendi praelaturam aliquam vel dignitatem extra Societatem, tum ecclesiasticam tum multo magis saecularem, neque consentiendi ejusmodi electioni nisi ex stricto praecepto Summi Pontificis.

4) *Quartum* votum est manifestandi ambientes praelaturam intra vel extra Societatem, etiam non Professos.

5) *Quintum* votum est audiendi consilia Praepositi Generalis post susceptam ex praecepto Summi Pontificis praelaturam et ea sequendi, si meliora visa fuerint quam propria.

Adverte, a primo et tertio ex his votis solum Summum Pontificem dispensare posse.

Haec vota sunt simplicia:

a) quia haec est intentio Societatis et voventis;

b) quia non directe ad Societatis finem consequendum referuntur ut votum missionum, sed secundario tantum et indirecte Societatis bonum respiciunt, cum ad quaedam impedimenta removenda referantur;

c) quia (et haec videtur ratio interna) non afficiunt traditionem praesentem, sed omnino de futuris agunt.

ARTICULUS V.

De obligatione votorum, qua Professi e Societate dimissi ligati manent.

Haec quaestio juvat ad plenius intelligendam indolem horum votorum.

Triplex modus haberi potest, quo Professi membra Societatis esse desinunt; id enim fieri potest 1) per praelaturam vel dignitatem ex praecepto Summi Pontificis extra Societatem susceptam; 2) per dimissionem sine obligatione alium Ordinem ingrediendi; 3) per dimissionem cum obligatione alium Ordinem ingrediendi.

1) *In primo casu,* in quo Professi facti sunt e. g. Episcopi vel Cardinales,

a) *vota tria solemnia* quoad substantiam non cessant, quoad modum autem accidentalem eorum observantia a voluntate Summi Pontificis dependet; hinc

α) quod *paupertatem* attinet, non possunt dominium seu jus proprietatis acquirere nec testamentum conficere, nisi forte Summus Pontifex dispenset;

β) quod *castitatem* spectat, facile patet nihil mutari;

γ) quoad *obedientiam* soli Summo Pontifici, supremo omnium Ordinum capiti, subjiciuntur, neque ulli Superiori Societatis obedire tenentur neque ullam Societatis legem servare (quod est evidens signum, eos non amplius esse Societatis membra in proprio sensu).

b) *Votum quartum* solemne ex mutatione status cessare videtur. Cum enim hoc votum immediate Societatis finem respiciat, ejus obligatio afficere solum illos videtur, qui actu sunt membra Societatis in proprio sensu. Professi enim extra Societatem positi quodammodo *in communi Religiosorum statu* constituuntur, ita ut *nullius certi Ordinis membra* in sensu proprio dici possint. Inde videtur sequi, eos illas tantum obligationes votorum retinere, quae omnium Ordinum Professis communes sunt, nisi ex positiva declaratione aliud constet; jam vero quod hoc quartum votum attinet, nulla positiva declaratio habetur.

c) *Vota simplicia* post professionem emissa cessant pariter, quia materia eorum cessat per mutationem status, *excepto voto quinto* audiendi consilia Praepositi Generalis et eadem, si meliora visa fuerint quam propria, sequendi.

2) *In secundo casu* eadem dicenda sunt de *votis solemnibus,* quae in primo diximus obtinere. Quod autem *vota simplicia* attinet, adverte, ejectos e Societate ligatos manere *voto tertio* non ambiendi dignitates et praelaturas extra Societatem, ut voluit Urbanus VIII. in Bulla a. 1643. 26. Febr. edita; *reliqua* autem cessante materia *cessant.*

3) *In tertio casu* dimissi solvuntur omnibus votis per professionem in alio Ordine factam. Si autem antea Ordinem illum relinquunt, ad Societatem redire tenentur.

Cf. Suarez de Rel. Soc. lib. 11.

CAPUT XXIII.

De subjectione Superioribus et legibus debita.

Distinguenda est *duplex potestas Superiorum,* una potestas quasi-dominativa, altera jurisdictionis ecclesiasticae.

ARTICULUS I.

De potestate quasi-dominativa.

Potestas quasi-dominativa est „jus acquisitum Societatis et Superiorum ejus per ingressum et potissimum per traditionem cum votis connexam et acceptationem (sive conditionatam sive absolutam) dirigendi subditos ad Societatis finem". Haec potestas complectitur in se a) jus illis, qui vota emiserunt, praecipiendi sub peccato gravi in virtute sanctae obedientiae seu in nomine Jesu Christi; b) potestatem irritandi promissiones Deo vel hominibus post emissionem votorum factas

sive aliquas sive omnes, prout vota sunt simplicia aut solemnia (cf. supra cap. XXII. art. III. n. 4.); c) potestatem ea ordinandi, quae ad ordinem domesticum secundum leges Ordinis necessaria sunt, et d) poenas quasdam subditis pro defectibus suis externis imponendi.

Potestas sub a) et b) indicata ex voto obedientiae et traditione resultat, illa vero sub c) et d) jam ex ingressu in Societatem oritur per contractum explicitum, quo omnis candidatus declarat, se paratum esse ad subjectionem Superioribus et legibus praestandam, quamvis nondum promittat, se perpetuo in Ordine mansurum esse.

ARTICULUS II.

De potestate jurisdictionis.

Jurisdictio ecclesiastica vocatur potestas spiritualis regendi Ecclesiam Summo Pontifici et Episcopis et ab his aliis Clericis communicata.

Jurisdictio a Summo Pontifice Societati ejusque Superioribus communicata refertur a) *ad forum internum* Sacramenti Poenitentiae; b) *ad forum externum* in rebus ecclesiasticis, in quibus Societas a jurisdictione Episcoporum est exempta, ut Superiores dispensare possint a quibusdam Ecclesiae legibus, e. g. jejunii, Breviarii; ut censuras quasdam ecclesiasticas imponere et ab iis absolvere possint etc. (non est tamen nostrum singula explicare, cum finis hujus opusculi non sit, jus Societatis, sed spiritum ejus exhibere).

Discrimen inter potestatem quasi-dominativam et potestatem jurisdictionis clarius elucet in Ordinibus laicorum et Monialium; in his enim Superiores jurisdictione ecclesiastica, cum haec tantum Clericis communicari possit, prorsus carent, ita ut omnis earum potestas sit quasi-dominativa. In Ordinibus autem, quorum Superiores sunt Sacerdotes, utraque potestas inest nec in omnibus casibus facile distinguitur, cum jurisdictio etiam ad talia se extendere possit, ad quae facienda simul potestas quasi-dominativa habetur, quamvis quidam actus vi solius jurisdictionis exerceantur.

ARTICULUS III.

De legibus Societatis.

Leges Societatis a potestate quasi-dominativa simul et a potestate jurisdictionis procedunt;

1) *a quasi-dominativa,* quia, qui ingreditur, declarat subjectionem suam sub legibus eamque postea, *indirecte* saltem, vota nuncupando confirmat. Quamvis enim leges per se sub peccato non obligent, eas libere transgredi est se positive difformem reddere a speciali consilio omnibus membris dato seu est membrum aliquo modo difforme reddere a corpore toto, cui certa vivendi ratio convenit; qui igitur votis perpetuis se membrum perpetuum reddit corporis totius, eo ipso profitetur suam voluntatem se toti corpori conformem reddendi et ideo leges illas servandi atque hac ratione subjectionem suam sub legibus indirecte confirmat;

idque eo magis, quod nemo ad vota emittenda admitteretur, si declararet se nolle omnibus Societatis legibus subjectum vivere. Inde explicatur, cur leges libere transgredi sit per se *imperfectio non solum negativa,* sed *privativa,* quin tamen sit peccatum proprie dictum, nisi saepe per accidens ratione materiae, scandali, affectionis deordinatae etc. — Leges saltem praecipuae procedunt

2) *a jurisdictione* non solum *Pontificum,* qui Societatem approbarunt et confirmarunt, sed etiam a jurisdictione *Societati propria,* a Pontificibus communicata Congregationi generali et per hanc Praeposito Generali, a quo (vel ab ejus Vicario) Praepositis Provincialibus et localibus conceditur. In hac jurisdictione Congregationi generali concessa etiam continetur potestas leges ferendi, quae eo ipso a Pontifice sunt ratae seu approbatae, quod rite sunt latae.

Utraque potestas, quasi-dominativa et jurisdictionis, *plena* et *intensive et extensive summa* est in Congregatione generali, si in se spectetur. Nihilominus *exercitium* utriusque ex parte hujus valde extensum non est, cum Congregatio generalis nec saepe colligatur nec diu collecta maneat, et cum etiam prudentia exigat, ne in administrationem ordinariam multum se immisceat.

Modus exercendi potestatem utramque in Societate est *paternus,* qui juvatur *ratione conscientiae* filiali modo reddenda et *denuntiatione defectuum,* qua defectus proprii et alieni ad Superiorem ut

patrem, non ut judicem, referuntur, quae duo adminicula ad substantialia Instituti pertinere declaravit Congr. V. d. 58. Nihilominus modus procedendi per formam tribunalis seu judicii non absolute excluditur, quamvis vix unquam adhibeatur nec forma determinata processus judicialis existat.

* * *

Tertia quasi pars formae seu animae Societatis Jesu est *ejus spiritus,* quo Socii fiunt *boni* Socii Jesu. Spiritus hic est: „modus constans cogitandi, volendi et sentiendi indoli Societatis conformis, ex quo certus modus operandi consequitur;“ et cum haec indoles ex causis dependeat, etiam dici potest: „modus constans cogitandi, volendi et sentiendi causae finali, efficienti, exemplari materiali et formali (scil. duabus quasi partibus prioribus animae) conformis, ex quo certus operandi modus consequitur.“

Speciales meditationes de spiritu Societatis hoc loco non inseruntur, cum totum opusculum in eo describendo occupetur.

Considerationem causae materialis et formalis sequi debet *consideratio structurae* corporis Societatis, quae ex informatione materiae totius resultat causis reliquis conformis, cum etiam inde eluceat Societatis indoles et spiritus.

SECTIO V.

De structura corporis Societatis.

Sicut in quolibet organismo physico certa corporis conformatio elucet, quam structuram vocamus, ita etiam in corpore organismi moralis membra conspiciuntur diverso modo constructa et diversis functionibus praedita, per quae tota societas certam structuram habere dici potest.

Societatis Jesu structura intelligitur, si 1) singulae *classes* membrorum et 2) conformatio capitis i. e. *forma regiminis* consideratur.

I. De diversis membrorum classibus.

Sicut anima humana, forma corporis humani, non omnes materiae partes eodem modo informat et aliis membris alias vires aliamque structuram tribuit, ita etiam anima Societatis.

1) *Prima quasi informatio* eaque imperfecta fit per subjectionem sub auctoritate Superiorum et legum in primo ingressu candidatorum. Etenim qui ingrediuntur, seriam voluntatem exprimunt Superioribus et legibus obediendi nec nisi sub hac conditione ad primam probationem et ad alteram, quae Novitiatus seu tirocinium vocatur, admittuntur. Accedunt statim probationes variae seu experimenta, quibus ingressi paulatim spiritu Societatis informentur. Atque processui

hujus primae informationis respondet *classis tironum* (tum Scholasticorum, tum Coadjutorum temporalium).

2) *Secunda informatio* eaque perfectior fit per emissionem primorum votorum, qua tamen processus informationis nondum absolvitur. Per eam constituitur classis altera eorum, qui dicuntur *approbati* (tum Scholastici tum Coadjutores).

3) *Tertia informatio* et (quoad substantiam) ultima fit per vota ultima, ante quam tamen multi anni *probationis amplioris* (latius dictae) praecedunt, quibus singuli spiritu Societatis plenius hauriendo perfectius informentur. Post studia in Societate absoluta et ante vota ultima annus etiam integer probationis stricte dictae tribuitur, quae *tertia probatio* vocatur.

Tertiae informationi, cum duplex sit, duplex quoque membrorum classis respondet: *Professorum* per emissionem votorum quatuor *solemnium*, et *Coadjutorum formatorum* (tum spiritualium tum temporalium) per emissionem votorum publicorum, quae solemnitate juridica carent.

Itaque spectata informatione *quatuor classes* distinguendae sunt, in quarum tribus spectata materia et occupatione *binae* distinguuntur, una eorum, qui ad Sacerdotium destinantur aut Sacerdotes sunt, altera eorum, qui reliquos servitiis temporalibus praestandis juvant et laici manent.

De singulis classibus pauca.

1. De classe tironum et tirocinio.

CAPUT XXIV.

Tirocinium Societatis ejus fini et toti indoli respondet spectatis tum biennio probationis tum experimentis tum separatione ab aliis classibus.

ARTICULUS I.

Tirocinium per biennium durare fini Societatis ejusque toti indoli respondet.

Id Suarez (de Rel. Soc. l. 2. c. 4. n. 4 sqq.) bene ostendit his verbis:

„In Societate considerato fine ejus et ministeriis ratio occurrit specialis et multo major necessitas longioris probationis, quam in aliis Religionibus:

„*Primo* quia Societas . . . et vitam contemplativam et activam in perfecto gradu profitetur et amplectitur, et ideo necesse habet *in utraque parte novitios suos sufficienter instruere, fundare et experiri*, et ideo longius tempus requirit; merito ergo ad duplicatum officium vitae duplicatum etiam tempus probationis postulat. Quae ratio amplificari potest in particulari considerando actiones omnes et ministeria, quibus Societas probat novitios suos; nam inde facile potest intelligi, minus quam biennii tempus ad hanc probationem non sufficere.

„*Secundo* probatur, quia Societas ratione sui finis necesse habet *statim post probationem studiis intente vacare* vel juxta personae conditionem et

capacitatem *externis actionibus* occupari, et ideo necesse est, ut novitii ejus majores radices in exercitio virtutum mittant et in exercitio etiam orationis plenius instructi et, quoad fieri possit, assueti et experti sint; alioqui, quae in eo tempore inchoantur, facile postea remittentur vel amittentur; illud autem sine dubio fieri non potest unius anni tempore, in quo vix incipiunt spiritualia exercitia degustari; merito ergo alter annus additus est, in quo jacta principia robustiora fiant. Quod adeo necessarium esse experientia compertum est, ut ob hanc causam postea in Congregatione VI. can. 5. fuerit prudenter ordinatum, ut post exactum biennium probationis et post vota Scholarium emissa per alios duos saltem annos sub majori custodia et disciplina juniores contineantur, prout planius fuit subinde praescriptum in ordinationibus contractis cap. 13."

Tertio ratio sumi potest ex eo, quod Societas „non austeram, sed *moderatam vitam in exterioribus* profitetur; quamquam enim hoc non minuit perfectionem ejus, supposito ipsius fine, . . tanto vero erit major ejus perfectio, ceteris paribus, quanto carentia hujus exterioris austeritatis alio austeritatis genere magis compensata fuerit. Hoc autem fit per multiplicem probationem Societatis, quae inter alias est (ut sic dicam) propria austeritas ejus et magna ex parte exercetur in hac diuturnitate temporis novitiatui destinati, fuitque maxime proportionata tum respectu propriae Religionis

tum respectu aedificationis proximorum: quia, cum austeritas corporis ordinetur inter alia ad continendum hominem in officio virtutis et ad frenandos sensibiles affectus, ad propriam perfectionem et conservationem in virtute necessarium fuit diutius probari et fundari in solidis virtutibus (ut B. Ignatius frequenter loquitur) et in interna et externa mortificatione affectuum et sensuum omnium, ut postea sine tanto periculo possent in Societate vivere non obstante illa mediocritate in exterioribus. Et similiter respectu proximorum, quibus in admiratione esse solet exterior austeritas habitus etc., oportebat, ut, quod in hac parte deerat Societati, suppleretur ex alio habitu, qui, quatenus ad corpus spectat et visibilis est, exterior dici potest, est autem magis interior, tum quia magis ex interna virtute pendet, tum quia intimius (ut sic dicam) ipsum corpus afficit, scil. debita *modestia et compositio in omnibus sensibus, verbis ac motibus; hic autem habitus non poterat brevi tempore comparari.*

„*Quarto* tempus biennii post Pauli III. et Julii III. approbationem approbavit Concilium Tridentinum, quod (sess. 25. c. 16.) omnibus Ordinibus annum tirocinii praescribens excipit Societatem his verbis: ‚Per haec autem non intendit sancta Synodus aliquid innovare aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis Jesu juxta pium eorum institutum a sancta Sede Apostolica approbatum Domino et ejus Ecclesiae inservire

possit', insinuans, sicut ipsum institutum pium est, licet sit proprium et speciale ac distinctum ab aliis, ita etiam pie posse habere hanc proprietatem specialem. Quam etiam significat ex eo necessariam fuisse, quod hoc institutum non tantum ad serviendum Deo, sed etiam ad serviendum Ecclesiae speciali modo ordinatum est.

„Hinc denique Gregorius XIII. in Constitutione: ‚Quanto fructuosius' de B. Ignatio ait: ‚Divino instinctu ita duxit disponendum, ut biennio novitiatus absoluto omnes, qui in Societate perseverare voluerint, tria vota substantialia emittant ac novitii esse desinant'.

„Et in Constitutione: ‚Ascendente Domino' rationes fere omnes a nobis positas insinuat. Nam proposito fine et mediis Societatis subdit: ‚Ad quae sufficienter et pro dignitate praestanda, difficultates superandas periculaque subeunda, quibus dictae Societatis Religiosi in ejusmodi discursionibus et ministeriis exponuntur, necesse est, ut ipsi talia obituri magno devotionis ac virtutis praesidio muniantur, quod illis gratia inprimis omnipotentis Dei simulque educatio ipsa, longa item in Societate probatio necnon regularum observantia praestare noscuntur. Quibus constitutionibus ut tanta ponant rudimenta virtutis, ad quam aluntur, statutum est, ut novitii in Societate biennio probentur.' Quod institutum inviolatum et inconcussum esse vult, ut inferius late dicit et confirmat."

Tempus biennii expleti necessarium est ad valorem votorum simplicium, ut constat ex Congr. VIII. d. 22. et Congr. XII. d. 13.

ARTICULUS II.

Observantiae et experimenta tirocinii sunt fini Societatis accommodata.

Generatim advertendum est, „hoc tempus probationis *ad duos fines* ordinari: unus est ad experimentum vel *cognitionem;* alter est ad tradenda *rudimenta seu jacienda fundamenta virtutis* in hoc instituto necessaria.

„Et prior finis duas habet partes, scil. ut Societas naturam et ingenium personae sufficienter cognoscat et novitius majorem notitiam habeat Instituti, ut majori cum deliberatione perseverantiam eligat“ (Suarez de Rel. Soc. l. 2. c. 5. n. 1.).

1) Quae ad cognitionem statuta sunt, conveniunt Societatis fini; hic finis enim est sublimis et non nisi arduo conatu obtinendus; quo autem sublimior et difficilior est finis, eo major cognitio et deliberatio requiritur ad cognoscendam vocationem alicujus. Quod ipsum Suarez (n. 2.) his verbis exponit:

a) „Una ex praecipuis observantiis hujus novitiatus est, ut novitius sexto quoque mense biennii legat eam partem Instituti, quae necessariam et sufficientem notitiam ei praebere possit, nempe diplomata Pontificia, regulas scil. generales et communes

et Constitutiones vel saltem compendium earum. Ita statuitur in c. 1. Exam. § 13. et subditur ratio dicendo: ‚quod ideo fit, ut utrimque *majori cum claritate et cognitione* in Domino nostro procedatur, et ut quanto fuerit magis probata singulorum constantia, tanto stabiliores ac firmiores sint in divino servitio ac vocatione prima ad gloriam et honorem divinae Majestatis.' In quibus verbis significatur, licet haec recognitio Instituti per se primo sit ob majorem cognitionem et lucem ipsius novitii, etiam redundare in cognitionem et experientiam ipsius Societatis; nam quo novitius majori cum cognitione perseverat, eo magis specimen suae constantiae Societati praebet."

Ne autem deliberatio haec nimia esse videatur, advertit Suarez (ibid. n. 3.), eam non tantum propter perseverantiam adhiberi, „sed etiam ad se disponendum et praeparandum ad illam et ad praevidendas prius distincte et clare *difficultates et onera,* quae postea offerri continget; sic enim postea leviora fient et homo efficacius postulabit a Deo gratiam ad ea in praesenti majori affectu amplectenda et postea majori etiam virtute superanda."

Huc spectant verba S. Ignatii in formula Instituti: „Qui ad nos accessuri sunt, antequam huic operi humeros supponant, *diu multumque meditentur,* an tantum pecuniae spiritualis in bonis habeant, ut *turrim* hanc juxta consilium Dominicum possint consummare: hoc est, an Spiritus

sanctus, qui illos impellit, tantum illis gratiae polliceatur, ut hujus *vocationis pondus* illo adjuvante se laturos sperent, et postquam Domino inspirante huic Jesu Christi militiae nomen dederint, diu noctuque succincti lumbos et ad tam *grandis debiti solutionem* prompti esse debebunt."

b) „Eodem biennio (Suarez ibid. n. 4.) et singulis etiam semestribus iterum atque iterum examinandus est a Magistro novitius, ut in regulis ejus praescribitur (63. et sqq.). Quod examen eo tendit, ut Societas pleniorem et certiorem notitiam novitii habeat, et praesertim, ut cognoscat, an aliqua mutatio consideratione digna in eo acciderit, et quo fructu usque ad illud tempus novitiorum exercitia et experimenta sustinuerit, et quo proposito paratus sit ad progrediendum et perpetuo in Societate perseverandum. Finito autem hoc examine singulis etiam semestribus confessionem generalem ab ultima praecedente cum sacerdote a Superiore designato facere debet integramque rationem suae conscientiae reddere, ut ita in omnibus melius instrui ac dirigi possit. Quae omnia ex cap. 1. Exam. § 13. cap. 3. § 13. cap. 4. § 38. et § 41. et 1. P. Const. c. 1. lit. D. colliguntur." Haec examina iterata minus necessaria essent, si ageretur de fine aliquo minus sublimi et arduo, quam ille Societatis est, assequendo.

2) *Experimenta* tirocinii item Societatis fini accommodata sunt. Percurramus singula:

a) *Primum et praecipuum est* in spiritualibus exercitiis mensem unum plus minusve versari. Per exercitia S. Ignatius suos Socios formavit, per exercitia potissimum omni tempore nostri genuino Societatis spiritu imbuebantur, exercitia aptissima sunt tum ad vitam praeteritam expurgandam tum etiam ad vitam spiritualem inchoandam, per exercitia principia sanae ascesis in revelatione et ratione fundatae sunt haurienda, brevi: exercitia illo spiritu plena sunt, cujus excellentissimae et sublimissimae partes in Instituto Societatis veluti corpore donatae vivunt. Sane tale experimentum fini Societatis maxime respondet.

b) *„Alterum experimentum* est servire in uno vel pluribus xenodochiis per mensem alium, prout unicuique fuerit injunctum. Et ratio additur, ut magis se demittant et humilient ac eo veluti argumento demonstrent *se prorsus ab hoc saeculo ejusque pompis ac vanitate recedere.* Ubi considerari potest, quamvis opus hoc per se ad misericordiam seu caritatem erga proximum pertineat, hic tamen praecipue accipi, quatenus est humilitatis ac propriae abjectionis indicium.“ — Ad eundem finem tendit

c) *„tertium experimentum,* quod est peregrinari mensem alium sine pecunia ostiatim mendicando pro Christi amore, ut possint (ait S. Ignatius) ad incommoditatem comedendi et dormiendi assuefieri atque adeo, ut omni spe illa abjecta, quam in pecuniis et rebus aliis creatis possent consti-

tuere, integre vera cum fide et ardenti amore eam in suo Creatore constituant."

Hoc experimentum ostendit, quantopere spiritus Societatis secundum mentem S. Ignatii ab illo Ordinum Monachorum differat, quibus minime conveniret. Qua de re Suarez (ibid. pergens) ait:

„Hoc vero tertium experimentum videri potest alicui minus accommodatum pro novitiis Religionum, qui quo minus habent radicatam virtutem, *eo majorem custodiam et clausuram* videntur requirere, cujus etiam signum esse potest, quia in nulla alia Religione videtur usitatus hic probandi modus, quia in his peregrinationibus multa occurrunt spiritualia pericula." Nihilominus conveniens est tironibus nostris, quorum *vocatio est tota apostolica;* nam „Religio Societatis est religio Clericorum, qui ad hunc finem destinantur, ut pro salute animarum quamcunque peregrinationem ex obedientia suscipiant, ideo novitiorum experimenta huic fini prudenter accommodata sunt." Pericula autem evitantur, „quia ad prudentiam Superioris spectat uniuscujusque conditionem, virtutem et aetatem considerare talesque socios ad peregrinandum conjungere, ut sine periculo et cum fructu spirituali a Societate intento talis peregrinatio fiat."

d) *„Quartum experimentum* est, in variis officiis abjectis et humilibus exerceri, ut culinae et refectorii, aegrotorum cura ac domesticis aliis ejus generis, cui certe nullum definitum tempus praefigitur, quia per totum biennium hoc humilitatis

et caritatis exemplum praestandum est cum omni diligentia et sollicitudine. Illud tamen peculiariter observatur, ut vacando ab aliis exercitiis (quod in reg. 33. magistri novitiorum dicitur) integrum mensem novitii in aliquo humili officio impendant.."

Advertendum, „hoc probationis genus speciali ratione esse in Societate necessarium *propter finem ejus,* vel (a) quia ad ministeria spiritualia et ad studia litterarum, quae post novitiatum magna diligentia suscipienda sunt, *necessarium est magnum humilitatis fundamentum;* propter quod in Bulla Julii III. dicitur, Institutum hoc viros *omnino humiles* exigere; vel (b) certe quia non solum spiritualia ministeria, sed etiam corporalia misericordiae opera cum proximis exercenda sunt. Imo ut illis spiritualiter prodesse possimus, necessarium saepe est etiam corporaliter illis inservire et in hoc exemplum caritatis et humilitatis praebere; oportet ergo, ut statim a principio in his humilioribus ministeriis novitii Societatis multum exerceantur."

e) „*Quintum experimentum* est, ut in doctrina Christiana pueros et rudiores homines docenda pro singulorum captu et temporum ac locorum opportunitate exerceantur." Ut autem ministerio concionandi assuefiant, uno die cujusque hebdomadis novitii Scholastici in „tonis" habendis, ut loquimur, exercentur.

f) „*Sextum* est (pro Sacerdotibus), postquam in probationibus bonae aedificationis specimen prae-

buerint, ulterius ad praedicandum vel confessiones audiendas vel in utroque se exercendum pro tempore et loco et hominum dispositione progredi“ (Exam. c. 4. n. 15.).

„Videntur autem haec duo experimenta (Suarez ibid. n. 10.), sicut de tertio diximus, *valde propria Societatis;* nam in aliis Religionibus non permittuntur novitii soli inter se egredi septa monasterii“ (adverte etiam, nos monasteria non habere, sed collegia et domos), „nedum in actionibus circa proximum occupari; quod non solum (antiqui) monachales Ordines, sed etiam (recentiores monachi) mendicantes, qui magis de actione circa proximum participant, observant, ut videre licet in Constitutionibus Praedicatorum dist. 1. c. 13. lect. 6. et in Constitutionibus Minorum c. 3. Nihilominus experimenta haec in Societate approbata sunt sicut aliae Constitutiones et cum fructu servantur suntque *consentanea fini* ejus, tum ut talentum novitii ad juvandos et aedificandos proximos innotescere incipiat, quantum illa aetas et status patitur, tum etiam ut usu et experientia discere incipiat novitius, in quibus operibus per totam vitam occupandus sit et eo magis ad illa afficiatur, quo magis a tenera Religionis aetate in eis fuerit educatus; sic enim consueverunt parentes, quando filios ad usum militiae destinant, eos a pueritia in actionibus bellicis exercere, et duces non statim tirones milites pugnae committunt, sed prius illos paulatim exercent ac pertentant.

„Haec sunt praecipua Societatis de novitiis experimenta, quorum utilitatem quia B. Ignatius ac primi ejus Socii initio fere suae conversionis maximam perceperant, nobis posteris obeunda reliquerunt. Quae tamen nec sola sunt nec omnino necessaria; utrumque enim ex eodem cap. 4. Examinis colligitur. Nam in § 9. expresse dicitur, haec sex experimenta esse praecipua praeter alia multa, quae per totum illud caput narrantur. Et 9. P. Constit. c. 3. Lit. E dicitur: ‚Penes Generalem erit, ut omnia sex experimenta et plura etiam quam illa sex, de quibus in Exam. dicitur, fiant'. Quoad alteram vero partem dicitur in eodem c. 4. Examinis posse illa experimenta anteponi et postponi et moderari et aliquo in casu auctoritate Superioris, habita ratione personarum, temporum et locorum tum ceterorum, quae occurrerint, in alia permutari. Non sunt ergo simpliciter necessaria, sed juxta observantiam regularum cum subordinatione ad debitam Superioris providentiam ac directionem."

ARTICULUS III.

Separatio habitationis tironum multum juvat ad probationis successum.

Utilitas separationis tironum multiplex est:

„*Prima,* ut raritate congressus novitii majorem reverentiam erga antiquos retineant.

„*Secunda,* ne occasionem alicujus elationis accipiant, si statim cum aliis ad communem vitam admittantur.

„*Tertia,* ne forte, si aliqui ex antiquioribus in officiis suis aut religionis observantia minus diligentes vel revera sint vel apparere possint, proclivitas ad eos imitandum in animis illorum nascatur; hoc enim scandali genus facilius in his tanquam in infirmioribus et pusillioribus nascitur, et saepe propter novitatem et inexperientiam ibi defectum aut negligentiam judicant, ubi revera non est.“

Quarta: separatio juvat, ne tirones „de se elatius sentire incipiant, cum, in quibus ipsi recte se gerunt, in his grandiores labi animadvertant.

Quinta: „per hoc etiam providetur, ne novitii ante tempus indecore appetant ea, quae cum aliis propter aetatem vel alias rationes religiose et cum decore servantur. . . .

Sexta: „tirones in arctiori disciplina teneri educationis et probationis gratia debent, quod fieri non potest nisi cum magno incommodo aliorum, si una cum reliquis vivant.“

Haec „omnia commodius profecto servabuntur, si separatio *in distinctis domiciliis* fiat, si commode id fieri possit, quamvis etiam in cohabitatione ejusdem domus possint aliae utilitates provenire. Nam et parvi (ait S. Basilius) ex grandiorum aemulatione ad compunctionem assuefiunt et qui pietate antecedunt, in oratione a pueris non mediocriter adjuvantur. Hae vero utilitates et similes non amittuntur propter domorum separationem, quia haec nunquam potest esse tanta,

quin cum novitiis aliqui antiquiores habitent, a quibus vitae exemplum accipere possint, quod eo melius fiet, quo ipsi magis fuerint selecti et probati, et e converso inter antiquiores semper juniores aliqui habitant, qui, licet novitii non sint, novitiorum fervorem et institutionem retinent, quorum vel officio vel exemplo alii sufficienter juvari possint."

Tirones Societatis nullis ceremoniis adhibitis vestem clericalem induere, cum Societas peculiare vestimentum non habeat, imo tirones ex mente S. Ignatii etiam vestes illas retinere posse, quas e saeculo attulerunt (Exam. c. 1. n. 13.), jam supra (cap. VII. art. II. pag. 38.) expositum est.

2. De Scholasticis approbatis.

CAPUT XXV.

Quae de Scholasticis statuta sunt, fini Societatis respondent.

ARTICULUS I.

Classis Scholasticorum generatim spectata fini Societatis respondet.

1) S. Ignatius 4. Partem Constitutionum, quae de Scholasticis agit, his verbis incipit:

„Cum scopus, ad quem Societas recta tendit, sit, suas ac proximorum animas ad finem ultimum consequendum, ad quem creatae fuerunt, juvare, cumque ad id praeter vitae exemplum doctrina et modus eam proponendi sint necessaria, postquam in iis, qui admissi sunt ad probationem,

jactum esse videbitur abnegationis propriae et profectus in virtutibus necessariis conveniens fundamentum, de litterarum aedificio et de modo eis utendi agendum erit" etc. — In declar. autem longa haec scribit:

„Cum scopus ac finis, ad quem tendit haec Societas, sit, varias mundi partes ex obedientia summi Vicarii Christi Domini Nostri vel Superioris ejusdem Societatis peragrando verbum Dei praedicare, confessiones audire et reliquis, quibuscunque poterit, mediis uti, divina gratia aspirante, ad animas juvandas: necessarium esse vel inprimis rationi consentaneum visum est, ut, qui in eam sunt ingressuri, viri sint vitae probitate et litterarum eruditione ad id officium idonei. Et quia boni simul et eruditi pauci inveniuntur, si cum aliis comparentur, et ex paucis major pars jam a susceptis laboribus vellet conquiescere: *perdifficile fore deprehendimus hujusmodi hominibus, qui boni simul ac litterati essent, hanc Societatem augeri posse,* tum propter *magnos labores,* quos ejus Institutum exigit, tum propter magnam sui ipsorum *abnegationem.* Ideo nobis omnibus, qui conservationem et incrementum ejus ad majorem laudem et obsequium Dei ac Domini nostri cupiebamus, alia via tenenda esse visa est, admittendi nimirum *juvenes, qui bonorum morum et ingeniorum indole spem facerent,* quod in probos simul et doctos viros ad colendam Christi Domini nostri vineam essent evasuri, admittendi etiam

Collegia cum iis conditionibus, quae in litteris Apostolicis continentur, sive in Universitatibus sive extra illas fuerint, et quidem si in Universitatibus, sive illae Societatis curae commissae fuerint sive non. Hac enim ratione nobis in Domino persuademus, ad majus divinae Majestatis obsequium fore, si et numero augeantur et in litteris ac virtutibus progressum faciant ii, qui eidem obsequio se totos impendunt."

2) Scholastici per vota sua (cf. cap. XXII. art. I.) *primum in Societate gradum* firmum obtinent, non ita tamen, ut in termino constituantur (cf. ibid.); haec institutio Societatem multum juvat in fine suo obtinendo; nam

a) Scholastici ex sua parte sunt per vota perpetuo ligati et in sua vocatione confirmati, et ideo Societas magnum pignus habet, se studiis illorum absolutis prole magno labore magnisque sumptibus educata non privatum iri.

b) Scholastici vere et proprie Religiosi facti solatio et merito majori in labores studiorum incumbunt; cum autem Societas illorum vota non absolute acceptet nec se ad Scholasticos retinendos per contractum aliquem obliget, timere non debet, ne membris inutilibus et nocivis oneretur.

Neque vero ulla fit injuria illi, qui dimittitur, quandoquidem sciens ac volens hanc legem subiit, cum admitteretur, ac liber omnino a votis suique juris evadit, cum dimittitur.

ARTICULUS II.

Quae de pietatis exercitiis Scholasticorum statuta sunt, fini Societatis respondent.

S. Ignatius 4. P. Const. c. 4. n. 2. ait:

„Post probationem cum studiis vacant (Scholastici), ut est cavendum, ne fervore studiorum intepescat solidarum virtutum ac religiosae vitae amor, mortificationibus, orationibus ac meditationibus prolixis eo tempore *non adeo multum loci* tribuetur. Quandoquidem litteris dare operam, quae sincera cum intentione divini servitii addiscuntur et quodammodo totum hominem requirunt, non minus, quam in illis versari tempore studiorum, imo magis Deo Domino nostro gratum erit."

In decl. ad hunc locum addit S. Pater:

„Si in aliquo particulari Rector convenire judicaret, plus esse in his rebus concedendum propter peculiares aliquas rationes, semper discretioni locus erit." Pergit n. 3.: „Itaque praeter Sacramenta Confessionis ac Communionis (ad quae octavo quoque die accedendum erit) et praeter Missam, quam quotidie audient, horam unam impendant recitando Beatissimae Virginis officio ac examinandis bis quotidie suis conscientiis cum aliis orationibus pro cujusque devotione usque ad praedictam horam explendam, si expleta non fuerit. Quae omnia juxta ordinationem et judicium majorum suorum, quibus obedientiam Christi loco praestare debent, facient."

In decl. ad hunc locum inter alia dicitur:

„In Scholasticis tamen, qui ad dicendum officium divinum non tenentur, facilius suis temporibus haec ratio commutari poterit, ut loco precum B. Virginis meditationes et alia spiritualia exercitia succedant (dum tamen hora in illis compleatur), idque praecipue cum quibusdam, qui, cum uno modo in spiritu non proficiant, alio cum gratia Dei magis juvabuntur, fiet, cum facultate tamen vel ordinatione majorum, quorum semper erit videre, *num in quibusdam propter particulares causas aliud magis conveniat,* ut id fiat. Habenda autem erit ratio verae devotionis ipsorum vel fundatoris et circumstantiarum, quae ad *personas, tempora et loca pertinent*" etc.

Epitome Instituti haec adjungit (P. II. c. 4. s. 2. n. 2.):

„Approbata postmodum est praxis ex delegatione Congr. Gen. introducta a S. Francisco Borgia' ut per unam horam praeter tempus duplicis examinis omnes atque adeo etiam Scholastici orent" (meditatio quotidiana per horam). „De Rosario autem vel Officio B. Virginis quotidie recitando visum est, id cujusque devotioni ac Praefecti rerum spiritualium prudentiae relinquendum esse."

Haec omnia si attente considerentur, elucet, ea fini Societatis accommodata esse seu respondere. Supra enim de fine Societatis agentes vidimus, finem Societatis, vi cujus Societas sit apostolica (cap. VII. art. I.), exigere, ut exercitium virtutum

sit flexibile (cf. cap. VI. art. III.), et multae praxes determinatae praescriptae non sint, ut studium perfectionis propriae et salutis perfectionisque alienae quodammodo in unum concrescat, quod fieri nequit, nisi officia pietatis cum magna moderatione suscipiantur et vitae activae ministeriis accommodentur (cap. VI. art. II.). Jam quis non videat, verba S. Ignatii allata eundem spiritum spirare, cum velit, ut Scholastici pietatis opera moderate suscipiant, ne studia impediantur, simul vero ut non ita studeant, ut intepescat solidarum virtutum et religiosae vitae amor; item eundem esse spiritum, cum S. Pater pietatis exercitium Scholasticis praescribendum flexibile esse declaret.

ARTICULUS III.

Separatio Scholasticorum juvat meliorem eorum educationem.

1) *De separatione juniorum.* De ea agit Congreg. VI. d. 16.:

„Cum nihil sit, quod desiderare magis Societas debeat majorique studio promovere quam, ut, qui se suamque in ea operam ad Dei gloriam et proximorum utilitatem in iis functionibus impendunt, quae suae vocationis atque Instituti propriae sunt, illum spiritus fervorem conservare ac in dies augere studeant, quem initio hauserunt, *cumque tantus ex juniorum nostrorum fratrum a reliquis separatione fructus constet,* ubi ea fieri coepta est, ad eos in bona novitiatus educatione conservan-

dos et probe, quales Institutum postulat, effingendos: postulatum fuit, ut hujus Congregationis *auctoritate ejusmodi separatio approbaretur et confirmaretur* eaque, sicubi forte nondum coepisset, introduceretur. Quamobrem omnium votis non approbata modo fuit, sed etiam Provincialibus magnopere commendatum, ut pro eo, quo Societatem amore prosequuntur cupereque propterea debent, ut ii, de quibus agitur, melius in eo spiritu conserventur, quem probationis tempore acquisiverunt, hunc juniorum seorsim a ceteris habitandi, conversandi et in omnibus, quoad fieri potest, segregandi morem invehi et observari curent, tum in Seminariis maxime illisque Collegiis, in quibus numerus eorum major est, tum vero etiam in aliis, ubi commode fieri posse judicaverint; rogatusque fuit R. P. N. Generalis, ut instructionem aliquam ad hujus rei feliciorem facilioremque progressum conficeret."

Haec instructio „Pro junioribus Scholasticis" est inter Ordinationes gener. 13[a].

Rationes hujus utilitatis separationis, quam decretum Congregationis extollit, sunt fere eaedem, quae de utilitate separationis tironum allatae sunt (cap. XXIII. art. III.), cum hoc tamen discrimine, ut, quo maturiores et seniores sunt Scholastici, eo minus etiam valere debeant.

Quamdiu Scholastici habendi sint juniores, id in instructione illa judicio Praepositi cujusque Provinciae relinquitur, qui etiam hanc ju-

niorum separationem ultra biennium extendere potest.

2) *De separatione omnium Scholasticorum, etiam seniorum*, haec tantum statuta sunt: a) Si magistros studiorum causa convenire debent, horam certam a Superiore assignatam habeant, extra quam illorum cubicula sine peculiari facultate non adeant (Congr. 6. d. 40. n. 5. et Congr. 7. d. 80. n. 18.). b) Minime permittendum est, ut Scholastici Patres antiquiores nimis familiares ac veluti patronos apud Superiores habeant (Inst. 17. n. 2. et Ord. c. 4. n. 12.).

3. De Professis et Coadjutoribus.

CAPUT XXVI.

Distinctio classium Professorum et Coadjutorum formatorum fini Societatis convenit.

ARTICULUS I.

De his classibus generatim.

„Juxta B. P. Ignatii mentem et Institutum in professis quatuor votorum Societatis multa dona postulantur non solum gratiae, virtutis ac spiritus, sed etiam doctrinae sacrae ac philosophiae omnisque eruditionis necessariae ad docendum, concionandum, explicandum res fidei easque ab ejus hostibus defendendum et ad res morales casusque in eis occurrentes expediendum. Hujusmodi autem dotes non possunt in omnibus nec in multis reperiri, ideoque ad sustinenda omnia onera Socie-

tatis etiam in spiritualibus ministeriis *non sufficiunt illi soli, qui his omnibus dotibus perfecti sunt aut plus quam mediocriter instructi;* ergo *necessarii sunt Societati alii Sacerdotes* religiosi et probi, qui licet in ceteris donis minus sint perspicui, ad juvandam Societatem in spiritualibus ministeriis vel in aliquibus etiam temporalibus, quae per Sacerdotes decentius fiant, sufficiant; scilicet in domibus professis in audiendis confessionibus vel externorum vel etiam nostrorum, in visitandis infirmis et incarceratis et aliis operibus misericordiae exercendis, vel etiam in officio ministri, procuratoris domus, collegii vel provinciae; praeterea in collegiis juvare possunt vel in eorum gubernatione, *munere etiam Rectoris* fungendo vel in litteris humanioribus aut liberalibus artibus docendis ac elaborandis vel in audiendis confessionibus nostrorum Scholasticorum et cura gerenda spiritualis profectus illorum. Denique in domibus probationis fungi possunt officio *Rectoris* aut magistri novitiorum vel in aliis supra dictis ministeriis juvare; ergo recte institutum est, ut hujusmodi personae in Societate reciperentur et per tria vota incorporarentur.

„Confirmatur et declaratur haec ratio: nam multi sunt apti *ad aliqua Societatis ministeria,* qui non sunt ita idonei, ut se ad missiones pontificias absolute devoveant, nec ut ab ipsa Societate ad illa exponantur; ergo hi merito incorporantur sine illo quarto voto atque adeo per tria vota;

vel aliter multi sunt, qui licet mitti possint, non certe tanquam capita missionum (ut sic dicam), sed ut socii praecipuorum membrorum; ergo satis est, ut illi, qui per se sunt idonei, ut principaliter mittantur, speciali voto se consecrent ad illud munus, aliis vero satis est, ut generali voto obedientiae cum aliis substantialibus Religionis adstringantur" (Suarez l. 7. c. 1. n. 3.).

ARTICULUS II.

Rationes, cur vota Coadjutorum formatorum sint simplicia.

1) „Ratio inter alias, quae fundatorem movit, fuisse videtur, quia Religioni utilissimum et ipsis Religiosis minime nocivum judicavit, ut, quoad fieri commode posset, religio retineret debitam potestatem dimittendi omnes, qui ad Religionis finem et modum non sese accommodarent; sic enim et ipsa Religio in sua puritate melius conservatur et securius ac utilius potest proximis inservire, qui est scopus illius. Deinde commodius judicavit Ignatius, ut hi, qui dimittendi sunt, liberi, quam votis ligati dimittantur, *ut cum minori dispendio utriusque partis* fieri possit dimissio; grave enim est Religioni extra se abjicere eum, qui adhuc vere Religiosus ejusdem Religionis maneat. Ipsi etiam, qui dimittitur, grave onus est privari Religionis commodo et jugum retinere. Ut ergo haec dimissio suavius fieri possit, hoc medium tanquam commodius electum est. Itemque ut Religiosi ipsi in majori timore conserva-

rentur semperque vigilantius viverent" (Suarez l. 7. c. 2. n. 6.).

„*Neque potuit autem haec conditio generaliter in omnibus membris Societatis observari;* nam (ut philosophi ajunt) omne mobile fundatur in aliquo immobili, quo certe principio ad vestigandum Deum usi sunt, decuitque in hac Religione esse aliqua principalia membra, quae essent veluti columnae et fundamenta ejus, in quibus ipsa Religio quasi immobilis esset, ideoque et ipsi indissolubili vinculo ligarentur et ipsa Religio se illis perfecte obligaret nec votis liberos a se posset dimittere. Atqui hi sunt soli Professi quatuor votorum" (Suarez ibid. n. 8.).

2) „*Neque* ex hoc modo institutionis aliquod *detrimentum his Religiosis* (scil. Coadjutoribus) *sequitur;* nam (ut in lib. III. c. 2. n. 2. dixi) apud Deum nullo merito privantur propter talem conditionem votorum suorum, imo crescunt (meritis) quodammodo (sub aliquo respectu), quia liberalius se obligant non exspectantes ex parte Religionis similem obligationem. Jam quantum in ipsis est, aeque se tradunt Deo et Religioni in perpetuum, nec est ullum periculum de status perpetuitate et stabilitate, *si ipsi velint debito modo se gerere;* ergo nullo spirituali commodo privantur ex eo, quod ad Professionem solemnem non admittantur" (Suarez ibid. n. 8.).

3) „Nec in exemplum adducendi sunt mores aliarum Religionum, quia Spiritus sanctus est

unus et multiplex et *diversis Religionibus diversa tribuit instituta* juxta varios fines earum. In aliis ergo Religionibus in admittendis personis sufficientibus ad professionem et religiosum statum consideratur tantum aptitudo ad propriam perfectionem et ad summum ad officium chori vel ministeria divini cultus seu vitae contemplativae; in Societate autem inter principialia consideratur aptitudo ad ministeria erga proximos, et ideo, etiamsi aliquis sibi bonus esse videatur, non statim ad solemnem professionem admittitur.

„Et praeterea in hac Religione propter periculum, quod in his ministeriis cum proximis esse potest, difficilius fit obligatio ex parte Religionis, ita ut regulariter non fiat nisi ad eos, qui sunt veluti fundamenta et praecipua Religionis membra.'

„Nec etiam timenda hinc est divisio aut minor concordia animorum in hac Religione, quoniam sicut in eodem corpore varia membra diversa munera habent et juxta illa diversam habent dispositionem et unionem cum toto, imo et diversam seu heterogeneam animae informationem (ut dicitur lib. 1. de anima cap. 2. a num. 36.), et nihilominus omnia inter se perfecte uniuntur ad unum corpus constituendum, et sicut in eodem mystico corpore Ecclesiae varii sunt gradus in ordine hierarchico, qui non solum non impediunt corporis unitatem, sed maxime illam conservant (ut in disp. 9. de fide s. 5. disseruimus): ita in hac Religione, quae hierarchiam ecclesiasticam

maxime imitatur, haec varietas non impedit unionem animorum, sed potius illam perficit, maxime quia fundata est in *humilitate et caritate;* nam qui majora Dei dona acceperunt et ideo in superiori gradu constituti sunt, *alios non despiciunt,* sed potius *honorant* et ut commilitones et cooperatores suos *amant* et ut Dei ministros ac servos *venerantur.* Ipsi vero, qui in Coadjutorum gradum asciti sunt, suam etiam sortem amplexi in vitae candore et humilitate Deo serviunt et alios ut patres aestimant.

„Neque in hac distributione graduum intercedere debet ambitio ex parte subditorum nec personarum acceptio ex parte praelatorum, quia in eis non consideratur honor, sed onus et majus Dei obsequium et proximorum auxilium" (Suarez ibid. n. 9.).

ARTICULUS III.

De Professis trium votorum solemnium.

„Nonnulli esse possunt, quos vel necesse non est vel non expedit quartum emittere votum, quia non habent omnes dotes ad illud ministerium necessarias et tamen dignissimi sunt, qui ad solemnem professionem recipiantur vel propter singularem vitae sanctitatem vel quia propter insignia facta aut opera specialiter sunt de Societate bene meriti. Interdum etiam potest expedire, aliquos recipi ad hoc genus professionis, ut sit in Societate modus dissolvendi matrimonium ratum

(non consummatum) non emittendo professionem quatuor votorum et ut vinculum hoc cum Societate sit absolute perfectum" (Suarez ibid. c. 1. n. 5.).

Quae in Congr. 6. d. 15. et Congr. 5. d. 18. hac de re statuta sunt, comprehendit epitome Instituti p. 3. c. 4. s. 1. n. 2. his verbis: „Annumerantur his, qui non attingentes in Theologicis mediocritatem insignes fuerint in litteris humanioribus et plures annos in iis docendis strenue laboraverint, et qui utiliter apud Indos operam navantes eorum linguis cum fructu addiscendis operam dederint, ita tamen, ut non communiter ac facile cum omnibus dispensetur. Admittendi praeterea ad hunc gradum praevio tamen consensu Patris nostri, qui jure majoratus in Hispania gaudent, si qualitas majoratus ejusmodi fuerit, ut firmitati illius abdicationis per sacrum Ordinem caveri non possit. Sed hujusmodi homines sine facultate P. Generalis in Societatem non recipiantur iisque donis ornati sint, ut spem magnam praebeant, eos post biennium probationis fore tales, quales nostrae Constitutiones requirunt, ut ad professionem trium votorum admitti queant.

„Alioqui tempus ordinarium emittendae hujus professionis non erit ante septem annos, quibus promovendi fuerint noti in Societate et certam sui talenti ac virtutum satisfactionem non mediocrem in ea praebuerint."

Professi trium votorum specialem classem in Societate non constituunt, tum quia sunt paucis-

simi, tum quia sub diverso respectu Professis et Coadjutoribus annumerari possunt. Hac de re de Reverseau in nota ad Suarez, De Relig. Soc. p. 392. ait:

„Respondeo, Professos trium votorum 1) habendos pro Professis tum quoad effectus professionis (solemnis) ex jure communi, tum quoad obligationem emittendi post professionem quinque vota simplicia; 2) habendos pro Coadjutoribus spiritualibus formatis quoad effectus professioni annexos ex jure speciali Societatis, quales sunt actus pertinentes ad principale regimen totius Societatis; 3) esse revera potius Professos, quam Coadjutores, quia in effectibus juris communis majus est momentum quam in ceteris; 4) esse specie tenus similiores Coadjutorum quam Professorum sive propter dona doctrinae et naturae sive quia juribus carent frequentius exercendis et per actus positivos."

ARTICULUS IV.

De Coadjutoribus temporalibus.

Hi a Coadjutoribus spiritualibus non spectata obligatione votorum, sed spectatis ministeriis differunt. Coadjutores enim temporales in illis Societatem juvant, quae ad corpus pertinent, et ideo in domesticis servitiis et labore manuum occupantur. De his Suarez, „eos", inquit, „Coadjutores temporales vocamus appellatione quidem satis religiosa et accommodata. Coadjutores enim

vocantur, ut vel ipsa voce *quaedam* aequalitas et modestia religiosa significetur; non enim ut famuli aut servitores aestimandi sunt, sed ut fratres, socii et adjutores nostri, sicut Martha Christo de sorore dicebat: ‚Dic ergo illi, ut me adjuvet' (Luc. 10, 41.) et ‚Simon et alii annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent et adjuvarent eos' (Luc. 5,7.). Verbum ergo *adjuvandi* societatis cujusdam et aequalitatis est et ideo Coadjutores appellantur, tum etiam, ut significetur eos coadjuvare *in ipsomet opere,* quod alii pertractant; hoc enim nomine appellantur in Scriptura, qui cooperabantur Apostolis in praedicatione Evangelii, ut supra (c. 1. n. 4) vidimus in Paulo ad Philipp. 2. et 4. et ep. ad Philem.; sic ergo dicuntur in Societate Coadjutores non solum, qui immediate in ipsis spiritualibus ministeriis adjuvant, sed etiam qui mediate parando ea, quae ad talia ministeria necessaria sunt, sicut corpus dici potest animae adjutor etiam ad intelligendum, quia, licet non simul cum anima intelligat, ministrat tamen ea, quae ad intelligendum sunt necessaria, et animae intelligenti suo modo cooperatur. Hac ergo ratione additur particula illa: ‚temporales', ut distinguantur a spiritualibus; utrique enim ad spiritualia adjuvant, sed non eodem modo; nam Sacerdotes adjuvant partem aliquam spiritualium ministeriorum praestando, ceteri vero temporalia peragendo liberos illos relinquunt ad spirituales occupationes et hoc modo etiam in eis illos adjuvant" (Suarez ibid. c. 3. n. 1.).

Advertendum est, Coadjutores tum spirituales tum temporales gratiarum esse participes, quae a S. Sede Professis sunt concessae.

CAPUT XXVII.

Distinctio classium Societatis exemplari ejus, quod Christus Dominus est, respondet.

Quae hac de re in cap. XIII. art. I. dicta sunt, nunc, postquam singulae classes Societatis explicatae sunt, amplius illustrari possunt.

1) Novitii, Scholastici approbati et Coadjutores temporales vitam absconditam Christi in domo Nazarethana imitantur, Professi et Coadjutores spirituales vitam publicam.

2) Distinctione graduum Professorum et Coadjutorum imitatur Societas Christum, quatenus praeter Apostolos septuaginta discipulos elegit.

3) Sicut Christus Apostolos et discipulos per tres annos instruebat, ita Societas per tres annos probationis suos instruit; experimentis autem quibusdam, quae sunt quasi praeludia vitae apostolicae, Societas has instructiones interrumpit, quemadmodum Christus discipulos suos nonnunquam „binos ante faciem suam“ ad praedicandum misit.

4) Paupertas Collegiorum, quae bona communia non excludit, paupertati Christi magis moderatae in domo Nazarethanae respondet, ubi vitam non per eleemosynas sustentabat. Paupertas Professorum vero in domibus professis

mendicitatem exigit ad exemplum Christi, qui tempore vitae publicae eleemosynis vivebat.

5) Sicut Christus Apostolos ad praedicandum misit sine sacculo et pera, ita Professi vi voti quarti sine viatico iter facere tenentur, si Summus Pontifex id exigat. Similiter tirones sine viatico peregrinationem faciunt, si conditio locorum et temporum id permittit.

6) Christus servitium piarum mulierum tempore vitae publicae non repudiavit. Simili ratione Societas, ut ministeriis spiritualibus libere vacare possit, servitium admittit Coadjutorum temporalium.

II. De forma regiminis Societatis.

Forma regiminis alicujus societatis generatim est „modus stabilis, quo auctoritas ab illo vel illis, qui regunt, possidetur et exercetur. Si subjectum auctoritatis supremae est una persona physica, forma regiminis dicitur monarchia, si illud est persona moralis seu collegium quoddam, habetur polyarchia, quae est respublica aristocratica, si tantum optimates regunt, respublica vero est democratica, si populus regiminis est particeps. Praeter has sunt etiam aliae formae mixtae.

Ut dicenda melius intelligantur, etiam observare juvat, auctoritatem alicujus majoris et stabilis societatis tribus partibus constare: a) potestate *legifera* seu normas stabiles et universales

praescribendi, quae *leges* vocantur; b) potestate *administrativa* seu executiva i. e. exsequendi leges et omnia faciendi, quae praeterea ad finem socialem obtinendum requiruntur; hujus potestatis est ordinationes particulares edere; c) potestate *judiciali.*

CAPUT XXVIII.

Forma regiminis Societatis praestans est.

Ante omnia quaenam sit forma regiminis Societatis, considerandum est.

ARTICULUS I.

Regimen ordinarium Societatis est regimini monarchiae temperatae simile, regimen extraordinarium est regimen reipublicae aristocraticae.

1) *Regimen ordinarium Societatis* est

a) *monarchico simile,* quatenus tota Societas per unum caput, Praepositum Generalem, quaelibet Provincia per unum Praepositum Provincialem, quaelibet domus per unum Superiorem localem administratur; haec monarchia in administratione autem est

b) *temperata;* nam

α) *monarchia Superiorum localium temperata* est αα) per eorum subjectionem sub Praeposito Provinciali et Generali; ββ) per potestatem deliberativam Consultorum domus et horum epistolas ad Superiores altiores ex officio scribendas; γγ) per monita Admonitoris ipsi a Provinciali assignati; δδ) per visitationem domus a Provinciali quotannis

faciendam; εε) per recursum omnium inferiorum ad Superiores altiores, ad quos semper singulis licet litteras inscio Superiore locali mittere (non tamen neglecta prudentia et caritate); ζζ) per certitudinem, quam Superior localis habet, se per paucos tantum annos munere suo functurum esse; — temperata est

β) *monarchia Praepositi Provincialis* αα) per subjectionem sub Praeposito Generali; ββ) per Consultores Provinciae, qui potestatem deliberativam habent, et per eorum epistolas ad Praepositum Generalem ex officio scribendas; γγ) per Socium suum et Admonitorem; δδ) per liberum commercium litterarum singulorum subditorum cum Praeposito Generali; εε) per certitudinem, quod Provincialis habet, se post paucos annos successorem habiturum esse; — temperata est

γ) *monarchia Praepositi Generalis* αα) per subjectionem ipsius sub Summo Pontifice; ββ) per Congregationem generalem, cui subjicitur, apud quam accusari et a qua deponi potest; γγ) per Congregationem Procuratorum (tertio quoque anno a Congregationibus provincialibus eligendorum), quae Generali invito decernere potest, ut Congregatio generalis conveniat, cum ipse Generalis duo tantum suffragia habeat; δδ) per potestatem deliberativam Assistentium, qui ordinarie non ab ipso, sed a Congregatione generali eliguntur; εε) per potestatem Assistentium in quibusdam casibus suffragio suo et aliorum aliquid decer-

nendi; ζζ) per potestatem, quam Societas absolute habet, ex gravissima ratione per Assistentium et aliorum suffragia etiam Generali invito Congregationem generalem convocandi vel Vicarium eligendi; ηη) per monita Admonitoris; — denique

ϑ) *monarchia omnium Praepositorum* maxime temperata est, quod *caret potestate legifera*, i. e. leges proprie dictas ferendi, quae soli Congregationi generali convenit, quamvis per potestatem administrativam quilibet in suo ambitu ordinare et Praepositus Provincialis ac Generalis etiam scriptas Ordinationes et Instructiones edere, Generalis etiam regulas condere, queant, quae tamen non solum a quolibet successore, sed etiam a Congregatione generali aboleri possint. Advertendum tamen, consuetudines veras et alicujus momenti domorum a Superiore locali nonnisi consulto Provinciali, et consuetudines Provinciae a Provinciali nonnisi consulto Generali tolli posse. Talis consuetudo tamen non est quilibet usus paucorum annorum vel mos rem nullius momenti spectans. Si enim quaelibet quaestio de lana caprina Superiori altiori reservata esset, Societas per *horrendum Centralismum* regeretur *contra mentem S. Ignatii*, qui in P. 10. Constit. n. 8. desiderat, ut etiam Superiores particulares in subditos *magnam potestatem* habeant.

Ratio autem, cur regimen ordinarium potius monarchiae *similem*, quam monarchiam stricte

dictam vocaverimus, est, quod Superiores potestate legifera carent, qua Monarchae proprie dicti praediti sunt.

2) *Regimen extraordinarium* est *regimen reipublicae aristocraticae;* nam Congregatio generalis quatenus raro colligitur et brevi tempore collecta manet, habet regimen extraordinarium; quatenus potestatem supremam et plenam, legiferam, judicialem et administrativam habet, ejus regimen est republicanum; quatenus vero eadem est collegium virorum ex Professis selectum, quod aristocratiam quandam virtutis et scientiae continet, ejus regimen simile est regimini reipublicae non democraticae, sed aristocraticae.

ARTICULUS II.

Forma regiminis Societatis praecipua emolumenta monarchiae et polyarchiae conjungit et praecipua utriusque vitia evitat.

1) *Emolumenta praecipua* a) *monarchiae* sunt: major unitas regiminis, qua in subditis concordia et pax facilius conservatur, et major efficacia in subditis ad finem socialem dirigendis exseri potest. Ergo etiam Societas, cum administratio ejus ordinaria sit monarchica, his emolumentis gaudet. Emolumenta praecipua b) *polyarchiae* sunt illa, quae ex multorum peritia et consiliis proveniunt, cum plurium oculi plura videant quam oculi unius; etiam haec emolumenta regimen Societatis praebet: α) per regimen extraordinarium polyarchicum

Congregationis generalis; β) per Congregationem provincialem, quae etsi nihil decernit, tamen postulata et consilia offert sive Generali per Procuratorem ab ipsa electum sive Congregationi generali; γ) per temperamenta administrationis monarchicae, inter quae est obligatio audiendi consilia Assistentium vel Consultorum (cf. art. 1.).

2) *Praecipua vitia* a) *monarchiae* sunt periculum abusus potestatis (a quo tamen nec polyarchia est libera), defectus consilii et cognitionis; haec vitia Societatis regimen evitat, quod non est monarchia absoluta, sed multum temperata et polyarchiam extraordinariam habet. *Praecipua vitia* b) *polyarchiae* sunt discordiae, partium studia et defectus efficaciae; haec vitia Societas evitat α) per rarum usum polyarchici regiminis; Congregatio generalis enim raro colligitur, et si colligitur, paucis hebdomadibus tantum collecta manet et administrativa potestate, qua etiam pollet, fere non utitur nisi indirecte sua desideria Praeposito Generali commendando; quibus fit, ut unitas, pax et efficacia monarchicae administrationis detrimentum non patiantur; β) per spiritum Jesu Christi, quo Societas imbuta est et quo socii affectus deordinatos coërcere conantur.

ARTICULUS III.

Magna emolumenta afferunt, quae de personis Superiorum determinandis et de tempore regiminis eorum statuta sunt.

1) Statutum est *solum Praepositum Generalem eligi,* reliquos vero Superiores *per hunc* nominari et constitui (exceptis Superioribus Residentiarum et Convictuum, qui Collegia non sunt, qui a Provinciali constituuntur). Id magna emolumenta affert; nam

a) si Superiores Generali inferiores eligerentur, α) facile partium studia et turbae variae excitarentur; β) facilius ambitio oriretur maxime nociva; et γ) facilius perfectio obedientiae detrimentum pateretur; cum autem solus Generalis eligatur,

b) periculum, ne animi nimis excitentur, ad minimum reducitur; haec enim electio α) raro occurrit; β) fit a viris gravibus e Professis in singulis Provinciis electis et a Provincialibus; et γ) exclusa omni ambitione directa et indirecta per obedientiae praeceptum ac votum speciale non ambiendi et denuntiandi ambientes, per poenas severas in ambientes infligendas et alias cautelas in ipsa electione adhibendas. Si nihilominus quaedam incommoda occurrant, nulla institutio humana tam perfecta esse potest, ut omnis prorsus defectus evitetur; sed ea erit optima, quae minus quam reliquae malis obnoxia est. Hoc ipsum etiam circa reliqua statuta semper prae oculis habendum est.

c) Incommoda, quae ex eo provenire possunt, quod Superiores Provinciarum et domorum a Generali nominantur, partim vitantur, partim minuuntur per consilia et informationes accuratas a Provinciis ad Generalem missas et nomina illi proposita, ex quibus cum Assistentium consilio illum Superiorem constituit, qui pro adjunctis aptior videtur.

2) Statutum est, ut Praepositus Generalis *pro tota sua vita* eligeretur, quod sane utilissimum est; nam

a) si pro brevi tempore eligeretur, accuratam notitiam status totius Societatis acquirere non posset, vel postquam eam acquisivit, ea ad regimen Societatis uti non posset; cum enim Societas sit in orbe terrarum late diffusa, facile non est tantam Provinciarum, domorum, personarum et negotiorum varietatem cognoscere, et quid singulis conveniat, recte dijudicare;

b) si pro brevi tempore eligeretur, Congregatio generalis saepe convenire deberet, quod desiderandum non est (ut dictum est in art. II.), cum inde difficultates polyarchiae magis sentirentur;

c) ut Generalis suo munere bene fungi possit, convenit, ut magnam habeat auctoritatem, cui magna reverentia respondeat; jam vero ait Suarez (De Rel. Soc. l. 10. c. 2. n. 7.): „dubitandum non est, quin perpetuitas muneris multum auctoritatis conciliet ipsi Generali tum cum externis

tum etiam cum nostris; . . . nam dignitas perpetua majoris aestimationis est apud omnes, quam temporalis; item quod praelatus habet magis firmam jurisdictionem, minus dependet a subditis ac consequenter majorem auctoritatem cum ipsis habere potest magisque ab ipsis timeri, et liberior etiam erit a respectibus timoris et amoris humani"; idem fere jam dixerat prius Ribadeneira de rat. Instit. c. 31. pag. 408. et aliquo modo jam innuit S. Ignatius Constit. l. 9. c. 1;

d) cum ad munus Generalis bene obeundum eximiae dotes requirantur, facilius vir tanto muneri par invenitur, si electio raro facienda est; jam vero si electio non fieret pro tota vita, frequentius fieri deberet.

3) Statutum est, ut Superiores reliqui, tum Provinciales tum locales, *pro triennio nominarentur*, ita tamen, ut tempus regiminis pro voluntate Generalis protrahi posset. Hoc valde utile est; nam ex una parte, quod Superiores subordinatos spectat, desunt illae rationes, quae ostendunt, Generalem pro vitae tempore esse eligendum, ex altera vero parte a) incommoda quaedam oriri possunt, si Superiores subordinati, a quibus subditi in vita sua *proxime et immediate* diriguntur, pro longo tempore constituerentur. Cum enim nemo mortalium sit absolute perfectus et in regendo infallibilis, fieri potest, ut per regimen Superioris etiam praeclari diu protractum, etiam sine culpa morali illius, subditis, qui ab eo

in rebus etiam *quotidianis et minutis dependent,* quaedam interdum detrimenta oriantur, quae aut evitantur aut facile removentur, si tempus regiminis brevius sit et mutatio fieri possit, prout haec secundum judicium Praepositi Generalis expedire videatur. Addi possunt rationes, quas Suarez de Relig. (in genere) tom. 4. tr. 8. l. 2. c. 7. n. 7. affert dicens: b) „statum Religionis non esse per se statum praelationis, sed subjectionis et humilitatis solumque ob necessitatem praelationem admittit; valde ergo consentaneum est illi statui, ut, quantum fieri possit, nullus religiosus sit semper praelatus"; jam vero excepto Praeposito Generali, necesse non est, ut aliquis Praelatus sit perpetuus. c) „Deinde hoc modo magis conservatur aequalitas, quae ad religiosam caritatem necessaria est; dum enim qui hodie praeest, cras subjectus et aliis aequalis conspicitur, et ipsi, qui praesunt, non nimium efferuntur" (i. e. facilius humilitatem conservant) „et alii postea de eorum aequalitate plurimum aedificantur." d) „Item religiosa gubernatio magis in caritate, quam in aliis humanis respectibus fundari debet; quod si ita fiet, non minori cura et sollicitudine assumetur, quam si perpetuo duratura sit; si autem alia intentione vel respectu fiat, eo ipso multum expedit, ut non sit admodum diuturna, nam quo plus duraverit, eo in deterius verget."

ARTICULUS IV.

Forma regiminis Societatis fini ejus respondet.

Fini sociali sublimi et universali tantum ejusmodi forma regiminis respondet, quae singulari praestantia praedita est; jam vero vidimus (in art. II. et III.) formam regiminis Societatis esse singulari praestantia praeditam, et in parte I. cap. IV. sqq. vidimus, finem Societatis esse sublimem et universalem.

Sed cum non quaelibet praestantia medii cuilibet praestantiae finis proportionata sit, forma regiminis accuratius cum fine Societatis comparanda est.

1) Generatim fini Ordinum religiosorum aut minus aut non convenit forma regiminis, in qua elementa polyarchica praevalent, cum ex his facile humilis subjectio et perfectio obedientiae, quae pro studio perfectionis altioris maximi momenti sunt, impediantur; a fortiori fini Societatis sublimi et universali, qui singularem obedientiae perfectionem exigit (cf. cap. VI. art. III.), ejusmodi forma regiminis non convenit. Sane

2) finis Societatis est gloria Dei non solum intensive, sed etiam extensive major, ita ut nulla terra, nulla hominum classis, nullum ministerium pro salute et perfectione aliorum per se et a priori excludatur, antequam constet, illud minus ad Dei gloriam conferre (cf. cap. IV.), et haec gloria Dei extensive major assequenda proponi-

tur per vitam activam ita contemplativae conjunctam, ut aeque primario atque haec intendatur et ut quodammodo concrescant in unum (cf. cap. V. et VI.), quod fieri nequit nisi per institutiones flexibiles, quae in rebus particularibus et accidentalibus Superioribus multa determinanda relinquant. Jam vero facile patet Ordinem *tam universalem et in multis flexibilem*, in quo multa Superioribus determinanda relinquuntur, requirere regimen in rebus ordinariis monarchicum, quod unitate et efficacia praestans sit, et in quo paucissima suffragiis multorum vel plurium decernantur, quamvis salubre sit, ut monarchia haec sit temperata (cf. art. II. pag. 190.) et ut regimen extraordinarium sit polyarchicum (cf. ibid.).

3) Formam regiminis Societatis fini ejus respondere ex historia confirmatur, qua constat, ipsam generatim progressui Societatis interno et externo non obfuisse, sed potius profuisse. Neque quisquam facile negabit, magna ex parte formae regiminis esse tribuendum, quod Societas nunquam reformatione indiguerit, sed spiritum antiquum semper conservaverit.

Antequam hanc materiam absolvamus, advertere juvabit, formam regiminis Societatis tum a formis regiminum aliorum Ordinum religiosorum tum et multo magis ab illis societatum civilium differre, quod ex maxima diversitate finium socialium, cui formae regiminum accommodari debent, facile explicatur. Quare et illi a veritate

deflectunt, qui dicunt, regimen Societatis esse prorsus simile Constitutionalismo recenti, et illi, qui existimant illud esse ejusdem indolis ac formam regiminis Ecclesiae, quamvis in quibusdam similitudo intercedat [1].

[1] Haec discrimina accuratius recensere minus ad finem hujus opusculi conferre videtur. Qui tamen comparationem in se non inutilem instituere desiderat, conferat modo exposita cum illis, quae in opere auctoris de Ethica et jure naturae (Innsbruck, apud Fel. Rauch, ed. 2. pag. 694. sqq. 704. sqq.) de Constitutionalismo recenti traduntur, et etiam cum illis, quae in Theologia dogmatica vel jure canonico de regimine Ecclesiae docentur.

PARS POSTERIOR.

DE NOTIS SOCIETATIS JESU.

Ex natura et indole Societatis Jesu, quam in priori parte ex causis cognoscere studuimus, proprietates quaedam fluunt, quae sunt ejus signa quaedam seu notae (Kennzeichen, charakteristische Eigenthümlichkeiten), quibus ab aliis Ordinibus distinguitur. Hae notae cum proprietatibus corporum comparari possunt eorumque nominibus per analogiam proportionis designari, idque eo magis, quod Societas sit corpus morale, cujus structuram quasi organicam jam consideravimus in capite ultimo partis prioris agendo de distinctione classium et de forma regiminis Societatis.

Proprietates plurimas ad paucas reducere liceat, ut nobis Societatis splendorem facilius repraesentemus.

Proprietates hae seu notae sunt 1) latitudo seu universalitas, 2) altitudo seu sublimitas, 3) profunditas seu humilitas, 4) asperitas seu rigor, 5) dulcedo seu suavitas, 6) firmitas seu soliditas.

I. NOTA PRIMA.

Latitudo seu Universalitas Societatis Jesu.

Facile patet, non agi hîc de universalitate logica, sed de *universalitate in causando*, i. e. de latitudine seu extensione bonorum, ad quae producenda et obtinenda Societas ex sua natura destinatur et tendit.

CAPUT XXIX.

Societas Jesu est Ordo maxime universalis.

Eo universalior est aliquis Ordo, 1) quo latior est ejus finis, 2) quo plura et magis varia sunt ejus media, 3) quo magis flexibile est ejus Institutum generatim, 4) quo magis flexibile est omnium virtutum exercitium, et 5) quo magis flexibilis est exterior vivendi modus. Id sane per se est evidens; si enim finis est restrictus, etiam media quaedam excluduntur et necesse non erit, ut Institutum ac totus vivendi modus interior et exterior plurimis adjunctis terrarum, temporum et personarum accommodentur et hac ratione quodammodo flectantur; pauca vero media et uniformia, Institutum prorsus immutabile et modus vivendi, qui accommodari et flecti non facile potest, proportionem non habent cum fine lato.

Jam Societatem quinque illis dotibus maxime praestare consideremus.

ARTICULUS I.

Finis Societatis Jesu est latissimus inter fines omnium Ordinum religiosorum.

Cum finis generice communis omnium Ordinum religiosorum sit altior perfectio acquirenda et eo ipso gradus quidam altior gloriae Dei obtinendus, finis illius Ordinis est omnium latissimus, qui gloriam Dei non tantum intensive majorem intendit, sed etiam extensive majorem, et quidem in summa extensione seu amplitudine, quae pro adjunctis obtineri possit. Jam vero supra ostensum est (cf. cap. IV.), finem Societatis esse tum intensive tum extensive majorem, et quidem in summa extensione, cum non tantum vitam contemplativam amplectatur, nec solam vitam activam, sed utramque, et hanc vitam mixtam cum majori extensione, quam reliqui Ordines vitae mixtae, cum hi aut opera in salutem proximi suscipienda vitae contemplativae secundario solum adjungant, aut quaedam tantum ministeria exclusis per se reliquis admittant, Societas autem nullum ministerii apostolici opus excludat, antequam constet, quodnam magis ad gloriam Dei conferre videatur, nec per se ullam orbis terrarum partem, nec ullam hominum classem fugit vel arcet, sed cum tota sit apostolica, „omnibus omnia fieri conatur, ut omnes Christo lucrifaciat“ (cf. cap. V. VI. et VII.).

Quare merito P. Achilles Gagliardi in opusculo: De plena cognitione Instituti, postquam

exposuit gloriam Dei nullo modo coarctatam seu restrictam esse finem et mensuram Societatis, inter alia (P. I. § IV.) ait:

„Hinc sequitur, proprium esse Instituti, ut majorem Dei gloriam summa cum amplitudine quaeramus, ut tam quoad nos quam quoad proximum semper quod majoris perfectionis est, procuremus, et hoc in omni genere et statu et numero personarum, per omnia media scilicet virtutum omnium et vitae tam contemplativae quam etiam activae, ex contemplatione perfectissimam actionem deducentes, demum ministeriorum reliquorumque omnium mediorum, de quibus infra suo loco dicetur."

ARTICULUS II.

Societas media plurima et maxime varia adhibet ad finem latissimum consequendum et quidem cum summa indifferentia.

1) Societas nihil excludit, quod ad perfectionem propriam vel alienam conferre potest, nihil, quo vita contemplativa vel activa exercetur, *antequam* videat, quid magis ad gloriam Dei conferat; igitur ingentem multitudinem et varietatem mediorum ordinis tum supernaturalis tum naturalis adhibet ad finem latissimum consequendum.

2) Universalitas spectatis mediis necessario conjuncta est cum *indifferentia maxima circa usum mediorum.* Qua de re praeclare Gagliardi ibid. § V. dicit:

„Sicut circa finem debemus esse summe determinati et resoluti, sic *ad omnia media plenissime indifferentes*“ esse debemus, „ut nonnisi in ordine ad finem illa velimus“ ... „Circa media vero indifferentiam illam intelligimus non solum, qualis ponitur expresse in Exercitiorum fundamento, sed etiam quoad actus et habitus virtutum. Quoad *actus* quidem indifferentia non est intelligenda quoad desiderium, cum maxime spectet ad majorem Dei gloriam etiam virtutum actus summos intense desiderare, neque quoad ipsos actus, quando ad illos exercendos ex praecepto tenemur, quales sunt trium votorum et similes; sed ea accipienda est indifferentia quoad alios omnes actus, quorum nullum est humanum aut divinum praeceptum, scilicet ut parati *simus relinquere, differre, mutare aut exercere, cum pro locorum, temporum aut rerum varietate opus fuerit, quatenus ad divinam gloriam magis faciunt* ex Instituti nostri ratione; ut e. g. orationem relinquere pro juvandis proximis confessionis aut praedicationis munere, martyrii occasionem in aliud opus ex obedientia docendi pueros commutare, sicut de P. Ignatio habemus, cum Parisiis flagellorum occasionem, quae pro Christo passurus erat quamque ardenter optabat, proximorum spirituali utilitati postposuit, et ut rudimentis grammaticae vacaret, ad amorem Dei gloriae divinis illustrationibus se privabat; hoc enim est Deum pro Deo relinquere secundum

ejus majus beneplacitum. Quoad *habitus* vero indifferentes esse debemus, 1) in acquisitione illorum, ut nos penitus subjiciamus directioni Superiorum, ne aut nostro sensu aut peregrino spiritu errantes ducamur. 2) Quoad visitationes et consolationes spirituales plures aut pauciores, quod in Constitutionibus monemur. 3) Quoad progressum et profectum circa gradus illorum longiori vel breviori tempore acquirendos eo modo et mensura, quae Deo futura sit gratior, ita ut post adhibitam diligentiam, quam par est in tanta re, abjiciamus omnem animi angorem et nimiam sollicitudinem acquiescentes divino beneplacito."

ARTICULUS III.

Institutum Societatis est generatim valde flexibile, minime tamen facile mutabile in perpetuum.

I. *Prior pars* hujus tituli elucet 1) ex modo dictis; si enim Societas et singuli indifferentia summa se erga multa et varia media habere debeant, ipsae quoque leges ejusmodi esse debent, ut pro aliis adjunctis aliter atque aliter applicari et in applicatione diversa vario modo flecti possint.

2) Idem elucet ex eo, quod gloria Dei intensive et extensive major est mensura Instituti (cf. cap. IV. art. III.); gloria enim Dei major pro aliis adjunctis alio saepe modo promovetur; jam vero si ipsa haec mensura pro adjunctis

mutatur, etiam institutum secundum ipsum metiendum aliquo modo flecti debet.

3) Principium vitae apostolicae est: „omnibus omnia fieri", quod exprimit, viros apostolicos multum se accommodare omnibus, ut omnes Christo lucrifaciant; qui autem se accommodant, quodammodo flectuntur, igitur vita apostolica valde flexibilis esse debet. Ergo etiam Institutum Societatis Jesu, quae est ordo totus apostolicus (cf. cap. VII.), valde flexibile est.

4) Institutum valde flexibile esse S. Ignatius in Constitutionibus declarat, saepissime dicendo, haec vel illa aliter fieri debere, *„prout Superior judicaverit magis ad gloriam Dei, ad obsequium Christi Domini, vel ad animarum auxilium conferre"*. Igitur secundum mentem S. Patris Superiores non tantum dispensare possunt, quod per se patet, sed multae Constitutiones jam tam flexibiles statuuntur, ut sine dispensatione a Superiore pro diversis adjunctis variam determinationem accipere possint.

5) Ipse usus hoc idem confirmat; in Societate enim magis quam in aliis Ordinibus auctoritas Superiorum particularia dirigit, ita ut leges scriptae magnum prorsus supplementum et complementum per vivam Superiorum vocem accipiant.

6) Confirmatur per *magnam* diversitatem consuetudinum in rebus exterioribus, e. g. in vestitu, victu etc., quibus vita quotidiana in diversis Pro-

vinciis dirigitur; haec diversitas magna approbari non posset, nisi Institutum esset valde flexibile.

Ex his elucet in Societate magis, quam in aliis Ordinibus, qui minus sunt flexibiles, illud valere: „littera occidit, spiritus autem vivificat".

Sed ne hoc punctum male intelligatur, haec advertenda sunt:

a) Institutum flexibile est ordinarie tantum *in accidentalibus* seu illis, quae ad essentiam vel essentialia statuta, „substantialia Instituti" vocata, non pertinent.

b) Existimandum tamen *non* est inferioribus, Superioribus licere, arbitrarie prorsus et pro lubitu in praxi a legibus recedere sub praetextu, eas esse flexibiles, vel inferiores posse quascumque mutationes vel dispensationes a Superioribus exspectare vel expetere; sed

c) Superiores et inferiores habere pro ipso modo et pro limitibus, inter quos inflexio sit licita et salubris, in fine et spiritu Societatis necnon *in ipso Instituto scripto certas normas.*

II. Ab eo, Societatem esse flexibilem, distinguendum est, eam esse mutabilem in perpetuum per abrogationem legum, i. e. Constitutionum et Decretorum Congregationum Generalium: *Talis mutatio in Societate non est facilis:*

1) *Quoad substantialia:* „Decretum est, non solum in universum non esse agendum, sed nec particulatim *de Constitutionibus substantialibus* nostri Instituti mutandis (Congr. I. decr. 16. et Congr. II.

decr. 6. et Form. Congr. gen. §§ 66. et 68.). Et si quis quocunque praetextu, in Congregationibus provincialibus audeat de hujusmodi rebus verba facere aut alibi etiam de iisdem quaestionem instituat, serio a suis Superioribus corripiatur et corrigatur (Congr. IV. decr. 26. et Form. Congr. prov. §§ 44. et 45.); quin etiam poena a P. N. statuenda est in eos, qui aliquid proposuerint contra ea, quae substantialia Instituti sunt, sive cum certum est, ea, quae proponunt, hujusmodi esse, sive cum sintne talia, dubitatur; licet tamen de omnibus declarationem petere (Congr. I. d. 16. et Congr. VI. d. 12. et Form. Congr. prov. § 44. et Congr. gen. §§ 66. et 68.). Tunc vero in Congregationibus provincialibus res dubia censenda est, quando vel unus Deputatorum affirmaret, rem propositam esse de substantialibus Instituti, idque in substantialium favorem (Congr. VI. d. 19. § 3. et Congr. VII. d. 35. et Form. Congr. prov. § 45.).

„Substantialia porro sunt inprimis, quae in Formula seu Regula Societatis a Julio III. confirmata continentur (in Bulla: ‚Exposcit debitum'). Deinde ea, sine quibus illa aut nullo modo aut vix constare possunt, quorum aliqua enumerantur in Congr. V. d. 58. Neque enim consultum est omnia explicare, cum praesertim Generales Praepositi ea pro tempore ad praxin declarare possint" (Epitome Instituti Prooem. n. 13. sq.).

2) *Etiam in accidentalibus mutandis in perpetuum moderatio adhibetur magna.* Epit. Inst. pergit n. 15.:

„De aliis vero *Constitutionibus non substantialibus* tractari quidem posse definitum est; sed sine experimento et ratione clarissima nihil immutandum (Congr. I. d. 16.), et solum ad plura medietate suffragia in Congregatione generali (Congr. II. d. 7.). Sed postmodum, ut magis obviam iretur aliquibus mutationem Constitutionum facile proponentibus (rem periculo plenam et quae viam munit non solum ad contemptum Constitutionum nostrarum, quas ut sanctas a B. P. N. tot lacrimis et orationibus conditas venerari debemus, sed etiam ad aliam sensim Religionem condendam): decretum est, ut de Constitutionibus immutandis non liceat in Congregatione generali tractare, nisi ad plura medietate suffragia tractandum statuatur, ipsa vero deliberatio et decretum non fiat nisi ad duas tertias partes, et in abrogatione alicujus veteris Constitutionis vel novae institutione duae intercessiones permittantur (Congr. I. d. 9; Congr. VI. d. 11. et Form. Congr. gen. §§ 68. et 73.). At ex Congregationibus provincialibus nulla posthac quidquam proponat, quo tollendae aut immutandae sint Constitutiones, imo et *Decreta Congregationum* generalium, nisi ad duas tertias partes visum fuerit proponendum. Tum vero non petatur abrogatio aut immutatio, sed solum incommoda proponantur ex eis provenientia petaturque re-

medium (Congr. VI. d. 13. et Form. Congr. prov. § 46.).

ARTICULUS IV.

Societas valde flexibilis quoad virtutum exercitium seu ascesin.

Id jam elucet ex dictis in art. II. de indifferentia circa actus virtutum diversarum certis temporibus exercendos, omittendos vel immutandos.

„In tanta virtutum excellentia et varietate," ait Gagliardi (ibid. in § V. pergens post verba in art. II. allata), „quam nobis Institutum proponit, non praescribit fere unquam certos actus neque regulam aut normam illarum exercendarum, citra vel ultra quam non possit quis, si quando varianda sit pro temporum, locorum, personarum aut rerum varietate, ad majorem Dei gloriam (aliquid) commutare, ut patet legenti Constitutiones."

Et in P. II. de virtutibus in communi, tertio, idem auctor praeclare et fusius exponit, quam flexibilis sit ascesis Societatis:

„Proprium est nostrarum virtutum fere non praescribi certam normam illas exercendi, neque quoad numerum actuum, ut in pluribus quadragesimis, ciliciis, flagellationibus et aliis poenitentiis corporalibus, quales habent alii Religiosi, neque quoad modum et speciem, e. g. profundis inclinationibus exercere humilitatem et similibus, tum in hac tum in aliis virtutibus, idque magni

momenti aestimamus ad virtutum eminentiam et perfectionem majorem. Est autem hoc ita in Societate triplici de causa:

1) „Quia cum virtutis ratio multitudinem circumstantiarum circa suam materiam requirat, circa quas illam maxime variari juxta locorum, personarum, temporis et rerum opportunitatem necesse est, si ad certam et praescriptam legem modo jam dicto illius actus exigerentur, *non parum, in Societate praesertim, detraheretur ejus perfectioni, amplitudini et liberalitati,* quia sic determinata neque quoslibet excellentes actus, neque quocunque modo exercere posset, neque quoties aut quando aut ubi opus esset, illos omittere vel assumere.

2) „*Ut sic aptiores et paratiores simus* ad tractandam et procurandam sine offendiculo aut impedimento ullo *omnis generis et conditionis hominum salutem ac perfectionem.*

3) „Ne crebro sit necesse in hujusmodi praefixorum virtutum actuum legibus, quod sine dubio nobis saepe necessario contingeret, dispensare, id, quod religiosae disciplinae perniciosissimum est. Hoc tamen non prohibet, quominus *aliquando* et *aliquibus* et possint et debeant etiam ex Instituti nostri ratione certi virtutum actus et modi illarum praescribi ac praecipi, imo est hoc Instituto nostro maxime consentaneum, nimirum cum illis, qui sunt in Novitiatu, cum rudioribus et his, qui vel perturbatione animi aliqua aut passione, scilicet ex malo habitu vel variis spi-

ritibus aut tentationibus agitantur et similibus. Et hoc quidem merito, quia sine tali adjumento et peculiari directione ad tantam virtutem et tam eximiam, qualem requirit Societatis Institutum, non omnes aeque sunt idonei. Actus autem ejusmodi, ut ex aliquibus, qui in Constitutionibus praefiguntur, colligitur, debent eligi, qui proprie ad formandum interiorem hominem pertineant et ad finem immediatum illius virtutis referantur, et demum ad comparandam eam prudentiam, quae postea futura sit viva quasi lex et mensura ad reliquos ejus generis per se ipsum exercendos.

„Neque tamen, quia ut plurimum et in ceteris non praescribit Societas virtutis certas quasdam normas, idcirco vagatur in incertum aut periculo se exponit peregrinandi in multitudine atque varietate spirituum, quod esset totius Instituti pernicies, imo vero certissimis legibus et ad id praestantissimis utitur universe praecipiendo, ita ut cum summa varietate propriam servet uniformitatem."

„Nam praeter finis universalis mensuram jam dictam habet

1) „in singulis virtutibus proprium et peculiarem modum procedendi, i. e. omnium, qui in ea virtute esse potest excellentissimum . . .

2) „Praxin habet earundem virtutum traditione et usu receptam regulisque tum communibus tum singulorum officiorum propriis expressam

3) „Directionem Superiorum aut aliorum, qui ejus loco sint.

4) „Prudentiam dirigentem singulos.

5) „Unctio demum per particularem Dei assistentiam et spiritus vocationis nostrae proprius ad id maxime confert."

ARTICULUS V.

Societas in modo vivendi exteriori est valde flexibilis.

In modo vivendi exteriori ille Ordo est valde flexibilis, qui in victu, vestitu ceterisque exterioribus se facillime accommodare potest locis, temporibus, personis et negotiis. Jam vero Societas Jesu est ejusmodi, cum tota sit apostolica. Ut eo facilius possit omnibus fieri omnia, abstinet Societas a veste monachali, imo ab omni veste peculiari, sed ex mente S. Ignatii veste utitur sacerdotum saecularium regionis, in qua vivit (cf. Formulam a Julio III. approbatam, in qua omnia sunt substantialia Instituti, ut declaravit Congr. V. decr. 58. et Constit. p. 6. c. 2. n. 15.); ideo abstinet etiam a reliquis, quae vitae monachalis mores, etsi sanctissimos sapiunt, e. g. a rosario longo e cingulo pendente, a tonsura magna vel crinibus usque ad cutem resectis, a jejuniis multis, aliisque corporis castigationibus lege praescriptis, a cantu in choro etc. (cfr. fusius dicta in cap. VII. et VIII.).

Cum haec res sit *magni momenti,* ut ab ea recte intellecta et alte animis infixa *non raro felix*

successus magnorum operum apostolicorum pendeat, non pigeat de ea Suarez (De Relig. Soc. l. 1. c. 5. n. 5.) audire idque eo magis, quod ea, quae de habitu dicit, etiam de aliis exterioribus valent: „Addo," inquit, „quamvis inter Religiones Clericorum aliquae sint, quae aliquo proprio et peculiari insigni in exteriori habitu utantur, ut patet in Canonicis regularibus, hoc ipsum *(non sine magna et prudenti ratione, considerata temporum opportunitate et principali Societatis intentione)* praetermissum esse et pro signo quoad habitum accepisse Societatem *solam decentiam et honestatem ejus cum omni modestia* ac verborum, actionum sensuumque omnium *moderatione* conjuncta. Cum enim talia essent tempora, ut haeretici monachos maximo odio prosequerentur, et ideo illorum habitum et quemcunque habentem cum illo similitudinem vel affinitatem invisum et odiosum haberent et Societas cuperet etiam ipsos haereticos lucrari Christo, *noluit nova alicujus habitus specie eos offendere,* sed hoc, quod de se indifferens erat, vitare, *ut ita faciliorem haberet ad eos aditum;* nam hac ipsa de causa Monachi etiam nonnisi mutato externo habitu ad haereticos penetrant. *Quae ratio non solum ad haereticos, sed etiam ad omnes alios servata proportione applicari potest;* nam etiam haec Religio fideles et *Catholicos,* imo illos maxime (juxta Apostoli consilium 1. Cor. 9. et ad Galat. 6.) lucrari cupit, et ideo etiam in exteriori habitu voluit, quantum honeste potuit, communem modum ser-

vare, ut *apud omnes minus alieni et extranei esse viderentur.* Ad praedicandum etiam *inter Gentiles* hic habitus etiam visus est magis accommodatus, quia filii magis accommodantur ad eos, quos etiam in exteriori habitu similiores parentibus recognoscunt. Ut ergo hi, qui denuo convertuntur ad fidem, pastoribus et presbyteris, per quos communiter gubernari debent, magis afficiantur, conveniens fuit, ut ministri, per quos erant convertendi et regenerandi, *communi Clericorum habitu* uterentur. Atque haec est potissima ratio, ob quam haec Religio in his, quae ad exteriorem speciem pertinent, communem quandam vivendi rationem tenuit, ut sub illa (quae alias per se perfectioni propriae non derogat) *facilius posset omnes lucrifacere,* imitata in hoc Christum Dominum, qui, ut peccatores lucrifaceret, cum peccatoribus manducavit et bibit... Cui consonat illud Augustini (in l. 3. doctr. Chr. c. 12.): ‚Quisquis ... rebus praetereuntibus restrictius utitur, quam sese habent mores eorum, cum quibus vivitur, aut temperans aut superstitiosus est; quisquis vero sic eis utitur, ut metas consuetudinis bonorum, inter quos versatur, excedat, aut aliquid significat aut flagitiosus est. In omnibus enim talibus non usus rerum, sed libido utentis in culpa est'."

Gagliardi (ibid. P. II. I. De virtut. in communi, quarto), ait: „Sanctitatem, quae ex tam excellentibus virtutibus consequitur, Societas conjungit *cum modo* procedendi *communi,* i. e. nullo

peculiari signo exteriori, ordinario et continuo, ut in victu, vestitu, convictu et similibus, ex Instituti ratione ad illam ostendendam utitur. Et hoc multiplici ex causa:

1) „Ne sistere in exterioribus et contenta esse quadam virtutis tantum specie videatur, quin potius summum studium in cultu interno virtutum collocet.

2) „Ut facilius periculum fugiat simulationis et inanis gloriae atque omnis virtutis fucum et sic assuescat vero humilitatis spiritu virtutes celando Deo potius placere quam hominibus.

3) „Ne ullum habeat rei externae praesidium, quo sibi placeat et blandiatur, sed soli innitatur virtuti, qua si careat, quasi sal infatuatum ab hominibus conculcetur; id, quod nobis maximus futurus sit stimulus ad veram virtutem acquirendam.

4) „Ut virtus Societatis nullum aliud signum habeat, quam ipsum ejus actum, qui eam prodat.

5) „Ut sic *aptiores sint homines Societatis ad procurandam salutem et perfectionem proximorum,* quia sic *minime eos deterrent, sed facilius alliciunt;* id, quod in quantum ex magna caritate procedit, *non vulgarem comprehendit perfectionem.*

6) „Quia hic modus illum Christi et Apostolorum maxime imitatur."

Ex his rationibus sine dubio *quinta* est praecipua, cum sit ex fine et indole Societatis deprompta. *P. Ribadeneira,* unus ex S. Ignatii discipulis, in opere de ratione Instituti Societatis

Jesu c. 2. de veste agens, postquam objectiones adversariorum proposuit, ait: „Ut rite satisfaciamus haec et similia Societati objicientibus, *firmiter tenendum* est, quod paulo ante monuimus, Societatem scilicet non esse cucullatorum hominum conventum, sed Clericorum Regularium Congregationem. Quemadmodum ergo, si quis Clericum percontaretur, quare cucullo (Kapuze) abstineat, praepostera et ridicula censenda esset istiusmodi percontatio, sic idem ferendum esset judicium de eo, qui Monachum interrogaret, cur clericale byrrhetum capiti imponere moretur. Ratio luce clarior patet. Ut enim a Clericorum more cucullus abhorret, sic a Monachorum usu alienum est byrrhetum omninoque fas est, ut quisque ea vestimentorum forma utatur, quae melius sui status conditioni consentanea sit“ . . .

„Denique illud adnotatu dignum maxime ducimus, . . omnia videlicet, quae ad finem aliquem assequendum eliguntur, ejusdem finis certissimâ regulâ gubernanda esse et dirigenda. Jam si finem Societatis attente dispiciamus, haud multo negotio statuemus, *nec proprium nec clericali absimilem* habitum Societatis hominibus imponi debuisse. Nam si fuisset impositus, *gravia impedimenta objecta fuissent fini obtinendo, ob quem Societas condita est.* Finem Societatis diximus supra positum esse in eo, ut fidem defendat et proferat; defendat quidem ab haereticorum conatibus, proferat vero inter idololatras in umbra mortis

sedentes. Sed ad haereticos quod attinet, neminem ignorare arbitror, quam infestis oculis despiciant quantisque contumeliis appetant (Deo id sinente ab peccata nostra) cum cetera Catholicae pietatis insignia, tum proprium Coenobitarum habitum, ut, si quis istorum per provincias haereticis incolis occupatas permeare cogatur, eum necesse sit vestes commutare, nisi vitae periculum adire aut saltem ludibriis verberibusque mulctari velit. . . Ad idololatras vero quod spectat, usus magister rerum non fallax comprobavit, vestem communioris formae longe commodiorem esse habitu singulari ad eorum culturam suscipiendam salutemque procurandam. Hoc in Indiis et maxime apud Sinas observari licuit. Nam cum Religiosorum quidam subinde manipuli ad Sinarum oras adnavigassent studio inflammati florens illud regnum Christo subjiciendi, non prius conspecti sunt, quam inde ejecti dirisque omnibus devoti, neque id aliam ob causam, quam quod insolens vestiendi ritus, quo Religiosi utebantur, suspicacis maxime gentis oculos offenderat pravisque opinionibus animos imbuerat. Contra Socii nostri, quorum vestitus a Sinarum consuetudine haud multum abhorrebat, longe minus difficilia et suspiciosa experti sunt illius gentis ingenia. Quo factum, ut pedetentim agendo, caute se insinuando, molliter alloquendo aliisque id genus artibus viam sibi munierint ad fidem Christi in vastissimum illud imperium inducendam.“ Jam quod de veste, etiam de aliis

exterioribus valet. Ita e. g. omnes Missionarii nostri apud Sinenses, ut se mori communi virorum omnium conforment, crines in plexum tortos ex occipite dependentes (Zopf, tresse) gerunt.

Haec indoles prorsus apostolica Societatis alte menti infigenda expressio viva est verborum Apostoli in 1. Cor. 9., 19.—23.: „Cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem. Et factus *sum Judaeis tanquam Judaeus,* ut Judaeos lucrarer; iis, qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cum ipse sub lege non essem), ut eos, qui sub lege erant, lucrifacerem; iis, qui sine lege erant, tanquam sine lege essem (cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi), ut lucrifacerem eos, qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. Omnia autem facio propter Evangelium, ut particeps ejus efficiar.*“

II. NOTA ALTERA.

Altitudo seu Sublimitas Societatis Jesu.

Hoc loco non agitur de praestantia Societatis sub omni respectu, sed tantum quatenus ad alta vel sublimia tendit.

CAPUT XXX.

Societas Jesu tota ad sublimissima tendit.

ARTICULUS I.

Societas Jesu habet finem sublimissimum.

1) Omnes Ordines religiosi finem valde sublimem habent, cum omnes ad perfectionem altiorem assequendam tendant et eo ipso gloriam Dei (saltem intensive) majorem, igitur finem ultimum plenius obtinendum sibi praefigant. Ergo etiam Societas, idque eo vel magis, quod gloriam Dei magis *explicite* qua talem finem habet, nec tantum *intensive,* sed etiam *extensive* majorem, et ita, ut eandem nullo modo restrictam etiam *mensuram* totius Societatis ejusque Instituti habeat (cf. cap. IV. et sqq., ubi hic finis accuratius explicatus fuit). Quanta sit haec sublimitas, elucebit consideranti gloriam Dei externam esse finem ultimum formalem et ideo finem omnium reliquorum finium finitorum, quos homines habere et intendere possunt.

2) Societas vi finis sui est Ordo prorsus apostolicus (cap. VII.), cum vitae contemplativae vitam activam in salutem perfectionemque aliorum directam summa cum amplitudine conjungat. Utraque autem est valde sublimis; et illa quidem, quia per illam homo altiori modo cum Deo unitur, altera vero, quia eximia opera caritatis erga proximum suscipit et in illis tota versatur.

ARTICULUS II.

Societas caritate erga Deum ad sublimissima tendit.

Societas vi finis sui caritate erga Deum singulari ratione perfunditur; nam caritas (seu amor purus supernaturalis) Dei est, qua homo ad gloriam Deo externam desiderandam et procurandam movetur, cum haec sit bonum externum Dei et cum amoris puri sit amato bonum ipsius desiderare et procurare. Igitur Societas, cujus finis et mensura est gloria Dei externa, qua talis expresse concepta, eaque intensive et extensive major, eo ipso, quod hunc finem et hanc mensuram habet, caritate erga Deum tota perfunditur.

Caritatem autem erga Deum esse virtutem omnium sublimissimam omnes Theologi docent, et ex eo elucet, quod caritas est amor purus infinitam Dei bonitatem in se complectens et ad sublimissima propter Deum facienda excitans et rapiens. Itaque Societas caritate erga Deum ad sublimissima tendit.

Hanc caritatem ex fine Societatis consequi, Gagliardi P. I. § 3. ita exponit:

„Sequitur, quod in nostris Constitutionibus dicitur, proprium esse nostri Instituti, ut, quia majorem Dei gloriam quaerimus, illam in seipsa et propter se ipsam finem habeamus, ut serviamus et placeamus divinae Bonitati propter se ipsam, hoc est autem, ut Dei gloria primum ac immediate nos moveat ad agendum“ (scil. ut bonum

Dei est) „quia nimirum concipimus, in hac Deum maxime et unice sibi complacere. Idcirco ut illi in hoc maxime obsequamur et placeamus et hoc divinum ejus beneplacitum, quantum in nobis est, exequamur, movemur ad opus quodcumque, divinam voluntatem nostram reputantes veluti in eam transformati, in ejus executione omnia nostra gaudium et quietem reponentes. Unde fit, ut nostrae Constitutiones nullam nobis obligationem imposuerint ad culpam, ut loco timoris offensae succedat *amor et desiderium omnis perfectionis et majoris gloriae Dei.* Et quamvis timore poenarum et spe praemiorum aut beneficiorum munere ad id juvari debeamus, id tamen potius ideo, quia Deus ita vult, ut his juvemur et moveamur. Hoc autem totum, etiamsi alii facere etiam possint, non tamen tenentur, sicut *nos tenemur vi nostri Instituti,* quod nos obligat ad majorem Dei gloriam semper quaerendam, quam plane non assequeremur, nisi hoc operaremur modo."

Et in P. II. de via unitiva III. § 1. ait:

„Ut maxime est propria caritas erga Deum in Societate, ita praestantissima esse debet et absolutissima, ut quae finem habet altissimum, et arctissimam unionem et familiaritatem cum Deo, quae viae unitivae summus est apex. Atque hinc est, quod tam excellentem requirat nostrum Institutum purgationem per mortificationis species supra dictas et praecipue totalem abnegationem non solum amoris mundi et sensualis, sed etiam

et vel maxime universi amoris proprii, et cur tantum studium virtutum ac perfectionis in suis postulet, ut nihil illius praetermittant, quantum divina gratia consequi possunt. Atque in hoc Deum maxime aemulatur Societas, ut caritatem non privatam, sed universalem habeat erga omnes; ut enim Deus ex caritate sua in operationem externam exit omnibus creaturis se communicans et benefaciens: ita Societas per hanc caritatem, qua Deum prosequitur, *ad omnium auxilium* et salutem procurandam procedit," cum praesertim sit Ordo apostolicus. „Unde caritas haec Societatis non est otiosa, *sed actuosa et operativa.*"

ARTICULUS III.

Societas Jesu ita sublimis est, „ut (verba sunt Suarii) in supremo gradu statuum religiosorum constituta sit".

„Ut sensum conclusionis explicem (ait Suarez de Rel. Soc. l. 1. c. 7. n. 3.), suppono, quod in tractatu 3. l. 1. c. 6. cum D. Thoma ostensum est, Religiones, quae puram vitam contemplativam profitentur, ex suo genere perfectiores esse illis, qui vitam pure activam amplectuntur, illas autem, quae vi sui Instituti utramque vitam apprehendunt, utrisque perfectiores esse. Ex quo D. Thomas c. 2. q. 188. a. 6. concludit: ‚Summum gradum in Religionibus tenent, qui ordinantur ad docendum et praedicandum.' In hoc ergo sensu dicimus Religionem Societatis in supremo ordine perfectionis religiosae constitutam esse. Quod

supposito dicto principio evidenter concluditur ex his, quae de fine hujus Religionis diximus in c. 1.“ (cf. et cap. V.). „Ostensum est enim Religionem hanc esse institutam per se et directe tam ad opera vitae contemplativae quam activae ad docendum et praedicandum et ad alia spiritualia opera circa proximos exercenda cum maxima perfectione et propensione.

„Secundo potest hoc explicari ex alio principio posito, quod Societas per se est Religio presbyterorum. Nam loquendo ex genere Religio Clericorum perfectior est, quam Religio Monachorum; nam Ordo sacerdotalis per se est dignissimus et statum perfectionis aliquo modo attingens. . .

„Addi potest *tertia ratio* sumpta ex D. Thoma dicto art. 6.; nam ‚supremum in unoquoque genere est mensura ceterorum‘; in statu autem perfectionis supremum locum tenent Episcopi; ergo Religio, quae ad illum statum propinquius accesserit, erit ex suo genere in altiori statu perfectionis, quam reliquae; sed Societas propinquissime videtur accedere ad statum episcopalem, quantum ad id, unde habet, quod sit status perfectionis; ergo. Probatur minor, quia Episcopi dicuntur praecipue esse in statu perfectionis, quia sunt in statu perfectionis communicandae, et quia ad hoc obligantur ex officio, etiamsi oporteat pro ovibus dare animam suam, et quia in illo munere firmitatem habent ex obligatione sui status; sed haec omnia participat excellenti modo Societas; nam

ex vi sui finis ordinatur non modo ad perfectionem acquirendam, sed etiam *exercendam et communicandam,* et ex vi suorum votorum (quod illi proprium est) ad hoc obligatur, non obstante quacunque difficultate, peregrinando per universum orbem etiam mendicando, si opus sit, et pericula quaeque subeundo usque ad sanguinis effusionem, in quo munere habet etiam firmitatem ratione obligationis voti; ergo etiam ex hoc capite proxime accedit ad statum perfectionis episcopalis. Differt autem . . ., quia non principaliter, sed ministerialiter hoc munus sustinet.“ Item quia non potest conferre omnia Sacramenta, quae Episcopi conferunt. „Sed in his omnes Religiones inferiores sunt Episcopis, quorum sunt adjutrices. In hoc vero potest speciale aliquid in Societate notari; nam videtur specialiter instituta in ministerium Apostolicae Sedis, ut ex Bullis Pontificiis saepe adductis manifeste constat. Unde etiam Clemens VIII. benigne alloquens Patres, qui ex universa Societate Romae congregati fuerant, anno 1600. Societatem *‚brachium dexterum Sedis Apostolicae‘* appellare dignatus est.“

Suarez ad haec addit, Societatem inter hos Ordines, qui in summo gradu constituti sunt, non infimum gradum obtinere. Sed hac de re opportunius videtur post tractationem de reliquis notis aliquid modeste innuere (cf. pag. 266.).

III. NOTA TERTIA.

Profunditas seu Humilitas Societatis Jesu.

Ordini, cujus finis explicite intentus et cujus mensura est gloria Dei tum intensive tum extensive major, necessario studium magnae humilitatis proprium esse debet, cum nihil magis directe gloriae Dei majori opponatur, quam studium gloriae propriae non moderatum per humilitatem.

CAPUT XXXI.

Societas suis summum humilitatis studium commendat.

ARTICULUS I.

Institutum plenum est locis, quibus humilitas commendatur.

1) *In Bullis* Pontificum de Societate, quae sunt Instituti veluti fundamentum, haec continentur: In Bulla „Regimini" Pauli III. et in Bulla „Exposcit" Julii III. in Formulis Instituti in illis contentis, dicitur obedientiam praestandam esse „propter *nunquam satis laudatum humilitatis assiduum exercitium.*" In Formula prioris Bullae votum quartum Professorum dicitur emitti ob majorem nostrae Societatis *humilitatem* ac perfectam uniuscujusque mortificationem.

In Formula posterioris Bullae dicitur: „... quia revera hoc Institutum *omnino humiles* et prudentes in Christo et in Christianae vitae puritate ac litteris conspicuos exigit." In eadem Formula

eruditio rudium his verbis commendatur: „Est enim maxime necessarium circa providentiam hujus rei diligenter Praepositum et consilium ejus vigilare, cum et in proximis aedificium fidei sine fundamento non possit exsurgere et in nostris periculum sit, ne, ut quisque erit doctior, ita provinciam hanc tanquam *primo aspectu minus speciosam forsitan detrectare conetur,* cum tamen revera nulla sit fructuosior vel proximis ad aedificationem vel nostris ad caritatis et *humilitatis* simul officia exercenda. . .“

Pius V. in Constitutione „Cum indefessae“ loquitur de nostris „lumbis paupertate et *humilitate* praecinctis“.

2) *S. Ignatius in Examine et Constitutionibus* de humilitate in his plurimis locis agit eamque commendat:

Prima verba Examinis c. 1. n. 1. sunt: „Haec *minima Congregatio*“, et in Const. P. 4. c. 1. n. 6. vocat S. Pater Societatem „*minimam* hanc *nostram Professionem*“, et in Prooem. Constitutionum „*minimam Societatem Jesu*“.

In Exam. c. 4. n. 8. dicitur: „Ad majorem in spiritu profectum et praecipue ad *majorem submissionem et humilitatem propriam* interrogetur (scil. candidatus), an contentus sit futurus, ut omnes errores et defectus ipsius et res quaecunque, quae notatae in eo et observatae fuerint, per quemvis, qui extra Confessionem eas acceperit, manifestentur“ (cf. Reg. 9. Summ.).

Officia *humilia,* quae experimentum Novitiatus constituunt, in Exam. c. 4. n. 11. scopum habere dicuntur, „ut magis se *dimittant et humilient* ac veluti argumento demonstrent, se *prorsus* ab hoc saeculo ejusque pompis ac *vanitate recedere*".

In Exam. c. 4. n. 26. monetur, ut quisque „sibi persuadeat, fore . . . quod quae *vilissima* erunt ex iis, quae domi sunt, ei tribuantur . . ."

De *mendicatione* ante vota quaecunque ostiatim subeunda dicitur: „. . . ut contra quam est communis hominum sensus, ad divinum obsequium et laudem *magis se possint submittere* magisque in spiritu proficere . . ." (ibid. n. 27.).

„In probationibus *humilitatis* et abnegatione sui et in exercendis *officiis abjectis et humilibus* . . . promptius ea suscipi convenit, a quibus sensus *magis abhorrebit*" (ibid. n. 28.).

Oportet *„coquo obedire cum magna humilitate"* (ibid. n. 29.).

Oportet „conscientiam suam *magna cum humilitate,* puritate et caritate manifestare" (ibid. n. 36.).

Poenitentiae pro erratis et negligentiis et defectibus injunctae *„magna cum humilitate"* subeundae sunt (ibid. n. 41.).

Inter omnes locos eminet ille (ibid. n. 44. sq.), qui transiit in Reg. 11. Summarii (in qua tamen quaedam omittuntur ad candidatos spectantia):

„Praeterea diligenter animadvertant oportet qui examinantur (magni faciendo summique mo-

menti id esse ducendo in conspectu Creatoris ac Domini nostri), quantopere juvet et conferat ad vitae spiritualis profectum omnino et non ex parte abhorrere ab omnibus, quae mundus amat et amplectitur, et admittere et concupiscere totis viribus, quidquid Christus Dominus noster amavit et amplexus est. Quemadmodum enim mundani homines, qui ea, quae mundi sunt, sequuntur, diligunt et quaerunt magna cum diligentia honores, famam, magni nominis existimationem in terra, sicut mundus eos edocet, sic qui procedunt in spiritu et serio Christum Dominum nostrum sequantur, amant et ardenter exoptant, quae iis omnino contraria sunt, indui nimirum eadem veste ac insignibus Domini sui pro ipsius amore ac reverentia, adeo ut, si sine offensione ulla divinae majestatis et absque proximi peccato foret, *vellent contumelias, falsa testimonia et injurias pati, ac stulti haberi et existimari* (nulla tamen ad id per eos data occasione) eo, quod exoptant assimilari ac imitari aliquo modo Creatorem ac Dominum nostrum Jesum Christum ejusque *vestibus et insignibus indui,* quandoquidem illa ipse propter majorem profectum nostrum spiritualem induit nobisque exemplum dedit, ut in omnibus, quoad ejus fieri poterit, divina gratia aspirante eum imitari et sequi, cum sit vera via, quae ducit homines ad vitam, velimus. Igitur interrogentur, an hujusmodi desideria tam salutaria et ad perfectionem animarum tam fructuosa in se sentiant.

Quod si quis propter humanam nostram debilitatem ac miseriam in se hujusmodi tam inflammata in Domino desideria non sentiret, *interrogetur, an saltem desiderium in se sentiat* hujusmodi desideria sentiendi. Si affirmando responderit, optare se nimirum hujusmodi tam sancta desideria animo concipere, quo melius ad eorum effectum perveniatur, *interrogetur,* an decreverit *paratusque sit hujusmodi injurias, illusiones et opprobria in Christi insignibus inclusa et alia quaevis,* quae ei inferrentur, sive per quemvis ex domo vel Societate (in qua obedire et *humiliari* ac aeternam beatitudinem consequi exoptat) sive extra eam per quemvis viventem, nulli malum pro malo, sed bonum pro malo reddendo admittere et *patienter cum Dei gratia ferre.*"

In P. 3. Constit. c. 1. n. 4. dicitur: „Omnes diligentissime curent . . . se in pace et *vera humilitate interna* conservare . . . *sine ullo* impatientiae aut *superbiae signo* . . . in omnibus procurando atque optando *potiores partes aliis deferre* omnes in animo suo tanquam *sibi potiores ducendo* et exterius *honorem ac reverentiam,* quam exigit cujusque status, cum simplicitate et moderatione religiosa exhibendo" (cf. reg. 29.).

Ibid. n. 13. dicit S. Pater: „Cum quis animadvertitur ad superbiam esse propensus, exerceri is debet in rebus abjectioribus, quae *ad humiliandum* ipsum utiles futurae videantur" (cf. Reg. 14. Summ.).

Ibid. n. 22. dicitur: „Magnopere conferet devote, quoad fieri poterit, ea munera obire, in quibus magis exercetur *humilitas* et caritas.“

Ibid. n. 23. commendatur obedientia *„cum humilitate debita“* (cf. Reg. 31. Summ.).

In P. 4. c. 6. n. 9. de Scholasticis dicitur: „Singulare sui specimen in doctrina praebere, *modeste* tamen curent“ (cf. Reg. Schol. 6.).

Ibid. c. 6. n. 17.: „Ad gradus consuetos (Universitatis) qui per diligentem examinationem digni invenientur, promoveri poterunt. Loca tamen certa, ut *ab omni ambitionis specie* atque ab aliis affectibus parum temperatis recedant, quamvis ea in Universitate, ubi gradum accipiunt, dari soleant, non accipiant, sed simul omnes extra numerum se constituant; nec sumptus, qui pauperes non deceant, in gradibus hujusmodi faciant, ad quos *sine humilitatis detrimento* non ob aliud, quam ut possint proximis ad Dei gloriam esse utiliores, promoveri debent.“ Fere idem etiam c. 15. n. 4. dicitur.

In P. 5. c. 2. n. 1. commendatur illis, qui in tertia Probatione versantur, inter alia usus earum rerum, „quae ad profectum *in humilitate* et *abnegatione* universi amoris sensualis, voluntatis et *judicii* proprii . . . conferant . . .“

In P. 6. c. 2. n. 15.: „Videretur autem repugnare (professioni paupertatis), si sericis vel pretiosis pannis uteremur, a quibus abstinendum est, ut *in omnibus humilitatis et submissio-*

nis debitae ad majorem Dei gloriam ratio habeatur."

Ibid. n. 16.: „In iis, quae ad rationem victus, somni ac usus reliquarum rerum vitae necessariarum vel convenientium spectant, . . . habenda semper erit ratio *humilitatis,* paupertatis et spiritualis aedificationis, quae semper nobis in Domino ob oculos versari debet."

In P. 8. c. 1. n. 3.: „Hac in virtute (obedientiae) qui primas in Societate tenent, bono suo exemplo aliis praeluceant uniti omnino cum suo Superiore et prompte, *humiliter* et devote ei obediendo persistant."

In P. 9. c. 2. n. 2.: „Praecipue in eo (Praeposito Generali) splendor caritatis (sit) erga omnes proximos et inprimis erga Societatem, ac *verae humilitatis* (splendore), quae Deo et hominibus amabilem eum reddat, sit conspicuus."

In P. 10. n. 6. dicitur: „Erit etiam summi momenti, ut perpetuo felix Societatis status conservetur, *diligentissime ambitionem,* malorum omnium in quavis republica seu congregatione matrem, *submovere* ac aditum ad dignitatem vel praelaturam ullam directe vel indirecte quaerendam in Societate *praecludere.* Quod ut fiat, omnes Professi se nihil unquam ad eam obtinendam *acturos et,* quos agere animadverterint, *delaturos* Deo ac Domino nostro *voveant,* et incapaces ac inhabiles ad praelaturam quamvis habeantur ii, de quibus probari posset, quod eam ambiissent. *Promittant*

etiam Deo ac Domino nostro *ad nullam etiam extra Societatem praelationem vel dignitatem obtinendam* se quidquam acturos, nec ad sui electionem ad hujusmodi munus, quoad ejus fieri poterit, consensum praestituros, si ejus obedientia, qui sub poena peccati potest praecipere, eos non compulerit; sed unusquisque videat, qua ratione animarum saluti juxta *nostrae professionis humilitatem et submissionem* inservire possit et ne Societas his hominibus, qui ad propositum sibi finem sunt necessarii, privetur." — (Cf. etiam alias severissimas poenas et praecepta ad ambitionem excludendam in Formula Congr. gen. n. 21. et Formula Congr. prov. n. 23.).

3) *In Regulis diversorum officiorum* humilitas commendatur:

In Reg. *Rectoris* et *Praepositi* domus professae praescribitur *instructio rudium* in doctrina Christiana per 40 dies, quod certe est opus humilitatis.

In Reg. *Rect.* 33 et Reg. *Praepos.* dom. professae 34. dicitur: „Tam ipse quam omnes alii Sacerdotes qui ei videbuntur, juxta Constitutiones (P. 3. c. 1. n. 19.) aliquando intra annum *officium* vel officia eorum, qui domi *inserviunt*, ad tempus aliquod obibunt."

In Reg. *Socii* Provincialis 3.: „Satagat impense, ut singuli sint caritate, *humilitate* et obedientia interna et externa cum Provinciali conjuncti."

In Reg. 3. *Consultorum*: „Cum debita *modestia* . . . sententiam dicant"; in 4.: „Alter alterum *honore praeveniat*".

In Reg. *Praefecti rerum spiritualium* 1.: „in obedientia et *humilitate* exemplum aliis praebeat."

In Reg. *Admonitoris* 1.: „Ea modestia et *humilitate* officium suum obeat, ut subditum decet erga Superiorem, quem Christi loco habet."

In Reg. *Concionatorum* 18.: „Caveant arrogantiam et ostentationem in concione *humilitatemque, cui ex intimo cordis affectu studere debent,* in omni actione prae se ferant. Quod si aliquid pro se aut Societate cogantur respondere, ea *modestia* satisfaciant, ut causam Christi, non suam agere videantur."

In Reg. *Missionariorum* 7.: „. . . Facultatem ad exercenda Societatis ministeria *modeste* ac religiose petant (scil. ab Ordinariis) eosque omnes, tam ecclesiasticos, praecipue Parochos, quam saeculares, quorum auctoritate aut favore opus habent, benevolos sibi facere studeant."

Reg. 13. „Etsi certus ordo in nostris ministeriis exercendis praescribi non potest, plerumque tamen utilius erit et securius *ab humilioribus inchoare,* ut a doctrina Christiana pueris explicanda, ab aegrotis hospitalium invisendis eorumque et aliorum magis indigentium Confessionibus audiendis."

In Reg. *Procuratoris* domus professae 1.: „Curet igitur ipse verbo et exemplo praesertim *humilitatis* et patientiae eos omnes aedificare, quibuscum conversatur."

Regulae Coadjutorum temporalium commendant illis *humilitatem* praecipue, ut et in Constitutionibus fit.

In Reg. 1. *modestiae denique ipse S. Ignatius omnibus praescribit:* „In conversatione nostrorum illud in universum dici potest, ut in omnibus externis actionibus appareat in nostris *modestia et humilitas.*“

ARTICULUS II.

Humilitas Societatis cum ejus sublimitate optime conciliatur.

Gagliardi op. cit. P. II. de via illum. X. 1. ait: „Humilitas Societatis non est abjecta et vilis, sed *magnanima et generosa;* nam cum maxime nitatur divinae gratiae, suis diffisa viribus, speciosa quaeque et magna aggreditur et appetit, citra elationis periculum, quia, heroica cum sit, radicata atque fortissima, inter alta et infima aequalitatem animi adeo conservat, ut neque illis extollatur nec deprimatur istis; quin et nostra humilitas *in vilibus excelsa* est; tractat enim illa magno animo et excelso, tum quia *ob Dei majorem gloriam* tanquam proprium et ultimum finem, tum quia *ex puro Dei amore* (agit), tum quia radicem meriti praecipue spectat, quae est caritas major, non objecti pretiositas et praestantia. Praeterea quod non in altis extollatur, sed potius depressa sit, nec ab illis vincatur, ratio est, quia illis non capitur affectus, neque (ea) curat aut aestimat, nisi quantum oportet ad finem sibi propositum.

Nam *ex altitudine* occupationum et munium *non metitur* Societas altitudinem virtutis, quia hoc tantum materiale est, sed, ut dictum est, ex caritate et fine. Quare semper ad alta tendit nostra humilitas et anima semper quieta esse debet."

ARTICULUS III.

Externa humilitatis signa, quae adhibet Societas, ejus fini proportionata sunt.

1) Cum Societas non sit Ordo monachalis, sed Clericorum et quidem totus apostolicus, modus, quo in Societate signa humilitatis adhibentur, talis est, qui cum modo vivendi in exterioribus communi honestis Clericis non pugnet, sed conveniat. Imo ipse usus vitae communis humilitatis quoddam perpetuum exercitium est, cum per vestem communem Sacerdotum saecularium et victum ordinarium sublimitas Societatis coram oculis multorum obtegatur.

Gagliardi loco cit. 2. hac de re ait:

„Quoad externam autem (humilitatem) non habet Societas quaedam signa exteriora ad humilitatem ostendendam, ut in victu et vestitu. Imo vero haec de industria relinquit *suaeque virtutis gratiam occultat,* ne ex his, quae foris patent, laudi et gloriae hominum aditum ullum praebeat, et quae studeat soli placere Deo ac Domino nostro, non hominum opinioni et sensui servire. Hinc ratio vivendi nostris communis est, communis item ratio vestitus et quae honestis Cle-

ricis regionis, in qua vivimus, convenit, ita tamen, ut inter sordes et pompam vere humilitatis et paupertatis medium teneat religiosum."

2) Modus exercendi extrinsecus humilitatem, sicut ascesis universa Societatis, flexibilis est, cum inflexibilis cum fine apostolico Societatis pugnet (cf. cap. VI. art. III.); quare pro diversis adjunctis et officiis diverso modo exercenda est humilitas. Quidam tamen actus Societati singulari modo conveniunt.

Audiamus iterum Gagliardi (ibid.):

3) „Habet interim (Societas) actus nonnullos et signa, quibus internam humilitatem exerceat et *testetur,* quia non otiosam profitetur humilitatem; hujusmodi actus sunt: a) patefieri et manifestari Superiori omnes errores et defectus ipsius et res quascunque, quae notatae in eo et observatae fuerint et per quemvis; item non solum private, sed etiam publice; b) servire coquo et cetera humilia et abjecta munia prompte obire; c) honore invicem se praevenire exterius et reverentiam exhibere, quam exigit cujusque status; d) pueros docere et rudes sive grammaticam sive doctrinam Christianam; et hoc non solum exigit ab quibusdam, sed et a Professis quatuor votorum et primoribus viris in Societate, et id genus reliqua."

Addi potest perpetuum humilitatis exercitium externum in eo haberi, quod in vita ordinaria non est discrimen quoad victum, supellectilem, locum sedendi in Refectorio inter Professos et

Coadjutores spirituales, inter juniores et seniores, item in eo, quod nulli tituli speciales adhibentur, qui labores, munera olim gesta et merita indicent, quod unusquisque est sui ipsius famulus (pro cubiculo verrendo, calceis purgandis, aqua portanda etc.), et similia, quae quamvis exigua esse videantur, non raro tamen ardua evadunt et occasionem virtutis exercendae praebent.

IV. NOTA QUARTA.

Asperitas seu Rigor magnus abnegationis.

Rigor non ille praecipuus est, qui in externa austeritate vitae consistit; in hoc, ait S. Ignatius (in ep. de obedientia), facilius nos patiamur superari ab aliis Ordinibus; sed ille potissimum perfectionis studiosis servandus est, qui in abnegatione interna nostrorum affectuum deordinatorum consistit.

CAPUT XXXII.

Societas Jesu rigorem abnegationis eximium profitetur et amplectitur.

ARTICULUS I.

Rigor abnegationis Societatis ex ejus fine, ex probationibus et ex diversarum virtutum exercitio elucet.

1) Gloria Dei intensive et extensive major etiam abnegationem intensive et extensive majorem requirere facile patet, cum affectiones nostrae

deordinatae gloriae Dei maxime opponantur, sive ejus interna perfectio sive ejus extensio spectatur; igitur finis Societatis magnum rigorem abnegationis requirit.

2) Societas est tota Ordo apostolicus idque vi finis sui, cum vitae contemplativae vitam activam eamque amplissimam conjungat (cf. cap. VI. et VII.). Jam vero Ordo apostolicus a suis membris magnam abnegationem requirit. Id est, quod „Summa et scopus nostrarum Constitutionum" his verbis praeclare describit: „Homines mundo crucifixos et quibus mundus ipse sit crucifixus, vitae nostrae ratio nos esse postulat; homines, inquam, novos, qui suis se affectibus exuerint, ut Christum induerent, sibi mortuos, ut justitiae viverent; qui, ut Divus Paulus ait, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis se Dei ministros exhibeant, et per arma justitiae a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, per prospera denique et adversa, magnis itineribus ad coelestem patriam et ipsi contendant et alios etiam, quacunque possunt ope studioque, compellant maximam Dei gloriam semper intuentes."

3) Singularis rigor abnegationis apparet in *probationibus,* et quidem a) in probationibus stricte dictis, cum α) Societati non sufficiat unus annus tirocinii, prout in aliis Ordinibus haberi solet, sed *duos* annos exigat; cum β) studiis absolutis

Sacerdotes *tertium* annum probationis subire jubeat, quod prorsus insolitum est in aliis Ordinibus; b) *in probationibus latius dictis,* quae per integrum tempus studiorum et reliquum tempus usque ad ultima vota durant; haec autem probationis majoris gratia differri usque annos 10.—17. expletos in Societate et interdum ultra, item rigor est Societati soli proprius et profecto maximus.

4) Magnus rigor abnegationis requiritur in Societate quoad *cognatos et patriam.*

a) Quod *cognatos* attinet, S. Ignatius in Exam. c. 4. n. 7. (Reg. 8. Summ.) ait: „Unusquisque eorum, qui Societatem ingrediuntur, consilium illud Christi sequendo: ‚Qui dimiserit patrem' etc. existimet sibi patrem, matrem, fratres et sorores et quidquid in mundo habebat relinquendum, imo sibi dictum existimet verbum illud: ‚Qui non oderit patrem et matrem, insuper et animam suam, non potest meus esse discipulus'. Et ita curandum ei est, ut omnem carnis affectum erga sanguine junctos exuat ac illum in spiritualem convertat, quemadmodum ordinata caritas exigit, ut qui mundo et proprio amori mortuus Christo Domino nostro soli vivit eumque loco parentum, fratrum et rerum omnium habet."

Quamvis his verbis minime dicatur, officia pietatis et caritatis erga parentes, summos hos benefactores, et alios consanguineos esse negligenda, requiritur tamen magna abnegatio in eo, ut α) intensitas affectus temperetur, ut β) signa

amoris ejusmodi tantum adhibeantur, quae studium perfectionis altioris non impediant; quare renuntiandum est γ) commercio litterarum valde frequenti, δ) cogitationibus fere perpetuis de rebus prosperis vel adversis cognatorum, ε) desiderio saepissime eos visitandi vel domi videndi, brevi ζ) omnia vitanda sunt, quae impediant, ne nos totos Christo Domino et vocationi apostolicae consecremus. Haec verbis comprehenduntur *„consanguineos esse relinquendos“*. Alterum autem: „amorem carnalem esse in spiritualem convertendum“ significat, cognatos esse amandos ex motivis altioribus, praesertim supernaturalibus, et quidem ita, ut iisdem magis spiritualia quam materialia bona exoptemus et, si possumus, conferamus.

b) Abnegatio *quod patriam* spectat, item non exigua requiritur; nam α) „nostrae vocationis est diversa loca peragrare et vitam agere in quavis mundi plaga, ubi majus Dei obsequium et animarum auxilium speratur“ (Reg. 3. Summ. ex Constit. P. 3. c. 2. G.). Igitur vi finis universalis Societatis, Ordinis apostolici, omnes populi et nationes universali amore amplectendi sunt, ita ut in omni natione salutem proximi promovere velimus et, si Deus id exegerit, patriam etiam in perpetuum relinquere; β) quamvis non sit illicitum, si cetera sunt paria, patriam hominesque propriae nationis aliis praeferre, attamen abnegatio tanta requiritur, qua simus *longe remoti* a spiritu

illo nationalitatis exaggerato, quo mundus est plenus, qui cum justitia ac caritate Christiana pugnat et *pestis* est omnis Ordinis religiosi, maxime vero *Ordinis apostolici,* Societatis Jesu, cujus Cor omnes gentes amore infinito complectitur et qui amore universali pro omnibus mortuus est. Profecto si jam parentum amor est moderandus et in spiritualem convertendus, multo magis amor patriae et nationis propriae, quibuscum nobis est longe minor conjunctio et quibus longe minora debemus, quam parentibus.

5) Abnegatio requiritur ad rationem conscientiae Superiori reddendam, ad manifestationem defectuum aliorum rite faciendam et ad manifestationem defectuum propriorum ab aliis factam debito modo patiendam. Haec tria ad substantialia Instituti pertinere declaravit Congr. gen. V. d. 58.

6) Quantus rigor abnegationis *in contemptu honoris* requiratur, elucet ex dictis de humilitate in cap. XXXI.

7) Rigor in *paupertate* servanda hic est:

a) Paupertas *strictissima est Professorum,* quorum domus et Ecclesiae annexae fundatione carere debent, ita ut tantum eleemosynis sustententur. Ideo Societas est Ordo Clericorum *mendicans* (cf. cap. VII. art. III). Professi etiam vi quarti voti parati esse debent, ut sine viatico, mendicando Missiones obeant.

b) Paupertas *stricta omnium,* quatenus *nemo peculium* habet (ut in aliis Ordinibus mos est), de

quo pro lubitu disponere possit, sed nihil tamquam proprium tractare licet (cf. pag. 138., 140. et sqq.).

c) Paupertas *stricta omnium,* quatenus nemini pro Missis, Concionibus aliisque ministeriis spiritualibus *stipendium* accipere licet, ita ut ne Generalis quidem, sed solus Summus Pontifex dispensare possit.

d) Paupertatis rigor firmatur *voto simplici* Professorum non permittendi, ut paupertas relaxetur (cf. cap. XXII. art. IV.).

e) Quod autem paupertatem *spiritualem* spectat, quae non est materia voti, sed abnegationis fructus, hanc nobis S. Ignatius summam proponit, ad quam assequendam tendamus, ut clare pateat, quantam a nobis abnegationem exigat; vult enim, α) ut paupertatem tanquam matrem diligamus et murum Religionis habeamus, β) ut omnes sint parati ad effectus quosdam paupertatis experiendos, γ) ut vilissima quaeque parato animo accipiamus, δ) ut victus, vestitus, lectus etc. sint pauperibus accommodati, ε) ut parati sint omnes ad mendicandum ostiatim, ζ) ut in usu rerum minimarum non solum a Superioribus pendeamus, sed etiam ut nulli rei affectu deordinato adhaereamus, η) ut in abdicatione rerum temporalium puro affectu procedamus etc.

8) Quod *castitatem* attinet, abnegatio ejusmodi sit opertet, ut puritas Angelorum aemulanda sit; id sane fieri nequit sine perpetua custodia sensuum et usu cautelae multiplicis, praesertim in conversatione cum altero sexu.

Praecipuus autem rigor Societati proprius est rigor obedientiae, quem in speciali articulo consideremus.

ARTICULUS II.

Societas summum abnegationis rigorem a suis exigit in obedientia servanda.

Distinguendum est votum obedientiae a virtute obedientiae.

I. *Votum obedientiae* in religiosis Ordinibus se extendit ad sola praecepta stricte dicta in virtute S. Obedientiae imposita; haec autem imponi possunt in illis tantum rebus, quae fini et spiritui Ordinis sunt conformia. Hoc etiam de Societate nostra valere declaravit S. Ignatius in Const. P. 9. c. 3. n. 20. his verbis: (Praepositus Generalis) „generatim loquendo in rebus omnibus, quae ad propositum *Societati finem* perfectionis et auxilii proximorum ad gloriam Dei faciunt, omnibus praecipere in obedientiae virtute possit.“ In eadem extensione etiam Provincialis et Superiores locales praecipere possunt in virtute obedientiae (non vero Superiores his subordinati).

Jam vero, cum haec ita sint, votum obedientiae in Societate majorem rigorem habet, quam in omnibus reliquis Ordinibus. Finis enim Societatis, in ordine ad quem praecepta in virtute obedientiae imponi possunt, habet majorem extensionem seu universalitatem, quam finis omnium reliquorum Ordinum; nam Societas sola gloriam Dei externam tum intensive tum *extensive* majorem

finem suum et *mensuram* totius Instituti habet, et ipsa sola vitam mixtam ejusmodi profitetur, ut vitae contemplativae vita activa in salutem perfectionemque aliorum directa *summa cum amplitudine ad certa opera minime restricta* conjungatur (cf. cap. IV., V. et VI.). Alii enim Ordines finem suum limitant seu restringunt.

Nec dicatur, in aliis Ordinibus esse majorem hujus voti rigorem, quod quaedam ex regulis vel Constitutionibus sub peccato obligent et ideo vi voti obedientiae servandae sint. In Societate enim aliquid simile habetur; quamvis Constitutiones, Decreta Congregationum generalium, Ordinationes, Regulae et Instructiones *ordinarie qua tales* sub peccato non obligent nec directe sub votum cadant, sed quaedam ex parte materiae tantum, igitur aliunde seu per accidens, sub peccato obligent, *sunt tamen quaedam praecepta et censurae omnibus a Societate impositae;* praeterea casum reservatum incurrunt Coadjutores temporales, qui Ministro obedire aperte detrectaverint dicendo, e.g.: nolo facere (Congr. 7. d. 45.), imo omnes, qui illi expresse asserunt se nolle parere, cum talia verba deliberate prolata ob expressum auctoritatis contemptum peccatum grave constituant.

II. *Quod autem virtutem obedientiae attinet,* major obedientiae perfectio et rigor cogitari nequit, quam ille est, quem S. Ignatius in Societate vigere exoptat.

1) *Spectata extensione* obedientia Societatis ma-

xima est, cum nihil excipiatur praeter ea, quae a subdito sine peccato aperto fieri non possunt. Quamvis enim votum obedientiae non obliget ad ea facienda, quae aperte cum fine Societatis pugnant, ut modo dictum est, recte tamen advertit Suarez (de Relig. Soc. l. 4. c. 12. n. 10.), S. Ignatium, si non de voto, sed de sola virtute obedientiae loquitur, nihil praeter peccatum excipere, ut tum ex Constitutionibus tum ex epistola de obedientia evidens est. Igitur si tantum perfectio et consilium spectetur, obediendum esset etiam, quando Superior aliquid injungeret, quod ab Instituto alienum est, e. g. peregrinationem Jerosolymitanam solius pietatis gratia, sine ulla utilitate alia propria vel aliorum instituendam, mores monachales servandos, redemptionem captivorum per propriam servitutem obtinendam etc. In hujusmodi casibus tamen, si sint alicujus momenti, plerumque ad Superiores altiores, si fieri possit, recurrendum erit, ne Societas detrimentum patiatur. Non nimis facile tamen judicandum est, aliquid ab Instituto alienum esse, cum universalissimum finem habeat et cum ideo Societas in accidentalibus sit valde flexibilis tum per dispensationem tum saepe etiam sine dispensatione (cf. cap. XXVIII. art. III., IV., V.).

Cum igitur nihil praeter peccatum excipiatur, in Societate innumeri casus occurrere possunt, in quibus ingrata et difficilia injunguntur et occasio offertur abnegationem omnis generis exercendi.

Adverte etiam obedientiam Societatis ad ipsa arcana conscientiae penetrare, cujus ratio Superiori reddi debet.

2) *Spectato modo* obedientiae requirit S. Ignatius summam perfectionem a) quoad executionem operis injuncti, b) quoad promptitudinem voluntatis et c) quoad subjectionem judicii.

3) *Spectatis motivis* requirit, ut non tam personam Superioris et rem injunctam, quam Dei voluntatem vel Personam Christi Domini per Superiores mandantis intueamur, ad quod etiam abnegatio requiritur.

4) *Spectatis Superioribus, quibus obediendum* est, nullus Superior excipitur nec ullus officialis, ne coquus quidem et alii Coadjutores temporales, si vi officii sui vel ex potestate a Superiore accepta aliquid exigunt.

5) *Spectatis illis, qui obedire debent,* item nemo excipitur ab obedientia, nullus Professus, nullus senex, nullus, qui fuit Rector vel Provincialis, nullus de Societate optime meritus, imo Societas exspectat, ut qui in ea praecellunt, reliquis perfectae obedientiae exemplo praeluceant.

Haec omnia sunt notissima ex regulis Summarii (e Constit. depromptis) et ex epistola de obedientia.

6) Rigor obedientiae praeterea augetur per ea, quibus prohibetur, ne quis *intercessiones externorum quaerat,* et per ea, quae de recursu ad Superiores altiores statuuntur et ab Epit. Instit. his verbis comprehenduntur (p. 198. n. 7.):

„Quin et ad Superiores mediatos intra ipsam Societatem non debent facile recursus aut patere aut nimis prodesse. Quod si rei gravitas aliud suadeat, tum exponendum est, cur a Superiore immediato id aut non petatur, aut non concedatur, interimque huic parendum. Praeterea quae a Superioribus circa administrationem agenda sunt, nemo curiose ab aliis exquirat, aut conjecturam faciendo de iis sermonem misceat, sed unusquisque sibi ac muneri suo attendens, quidquid de se atque aliis statuendum erit, de manu Dei expectet“ (Reg. com. 21.).

ARTICULUS III.

Societas Jesu ad Ordines rigidissimos pertinet.

Error est, rigorem Ordinum secundum solam austeritatem externam corporisque afflictationes esse metiendum, cum abnegatio interna magis ad perfectionem altiorem obtinendam conducat et saepe difficilior sit. Quod si prae oculis habeatur, ex art. I. et II. facile patet Societatem ad Ordines rigidissimos pertinere.

1) Ille Ordo pertinet ad rigidissimos, qui duratione Probationis tum stricte tum late dicta suorum membrorum omnes Ordines antecellit, qui in obedientia summam perfectionem et abnegationem requirit, qui etiam in reliquis virtutibus abnegationem haud vulgarem vocationi apostolicae conformem postulat et corporis afflictiones non excludit, sed exercet (etsi universali lege

nihil de iis praescribit). Jam vero talis Ordo est Societas, ut in art. I. et II. expositum est.

2) Suarez (de Rel. Soc. l. 1. c. 9. n. 17.) idem ostendit, cujus verba, cum compendio, etsi alio modo, ea exhibeant, quae supra exposita sunt, apte conclusionis gratia hoc loco afferri possunt:

„Dicendum est, Religionem Societatis sub regula valde stricta et rigorosa Deo inservire. Hoc facile demonstrabitur ex dictis. . . Nam regula non dicitur arcta vel laxa propter corporales afflictiones majores aut minores (quamvis hoc etiam adjuvet), sed praecipue propter majorem rigorem et observantiam in omnibus operibus virtutum et consiliorum, et *tanto erit major arctitudo, quanto fuerit major observantia in his, quae majoris momenti et perfectionis sunt.* Constat autem evidenter, regulam Societatis circa consilium obedientiae, quod est omnium maximum, esse arctissimam, quia descendit usque *ad minima, cum maxima dependentia et subordinatione ad Superiorem* et *se extendit usque ad maxima cum summa promptitudine et totius hominis abnegatione* (qua de re late in l. 4. c. 12. et 13.), et qui hujusmodi obedientiam non observat, revera huic regulae plene non satisfacit; ergo. In usu etiam paupertatis maximam quandam perfectionem requirit, ut in superioribus satis dictum est et in cit. l. 4. c. 8. et 9. tractabitur. In castitate vero rigor consistit in summa vigilantia vitandi omnia, quae vel minimum possunt eam laedere. Quam vero sit exacta

haec cura, tam in regulis quam in usu Societatis notissimum est; nam aliquibus potius videtur nimia; considerato autem fine et ministeriis Societatis nimia quidem non est, non tamen non potest non esse maxima et rigorosa, si Societas debet in sua puritate conservari, ut per divinam gratiam hactenus conservatur, qui effectus satis probat, regulam ejus in hac parte esse arctissimam. His accedit, quod ex vi regulae Societatis, tam in Constitutionibus quam in regulis communibus et particularibus contentae necesse est, ut qui perfecte ad illam se conformare voluerit, strenue vigilet in custodia sensuum et circumspectione verborum et in abnegatione propriae voluntatis et mortificatione omnium affectuum, praesertim ambitionis et elationis, quae omnia non solum corpus, sed etiam spiritum valde constringunt et non parum interdum affligunt, praesertim, quia haec cura, licet singulis voluntaria esse debeat, eisque praecipue demandata sit, non tamen illis solis, sed etiam Superioribus ex vi suarum regularum, ut si qui in toto hoc negotio mortificationis negligentes ac remissi sint, eos excitent et exerceant. Si igitur haec omnia attente considerentur et *multa alia*, quae ex ordinariis laboribus et exercitiis Societatis tam internis quam externis adjunguntur, nemo, qui ea satis percipiat, dubitabit, quin hujus Religionis Institutum satis arctum et rigorosum sit."

V. NOTA QUINTA.

Dulcedo seu suavitas Societatis.

Rigorem Societatis talem tantumque esse vidimus, ut supportari non posse videatur, nisi cum suavitate magna conjungatur.

CAPUT XXXIII.

Cum rigore Societatis magna suavitas conjungitur.

ARTICULUS I.

Societas Jesu ex indole sua imbuta est spiritu suavitatis.

1) Consideravimus supra (in cap. XXIX. art. II.), Societatem *caritate erga Deum perfundi,* cum gloria Dei major, quae est bonum Dei externum, sit finis et mensura Instituti, ad quam omnia referuntur et exiguntur. Jam vero caritas erga Deum suavissima est, ut qui ea perfunduntur, necessario spiritu suavitatis imbuantur. „Ubi enim amatur, non laboratur, et si laboratur, labor ipse amatur.“

2) Consideravimus supra intimam *unionem* Societatis Jesu *cum Jesu,* et quidem vidimus in cap. XV.:

a) Societatem Jesu esse Societatem, „quam diligit Jesus“; igitur Societatem Cordis Jesu;

b) Spiritum Societatis esse similem illi S. Joannis Apostoli et Evangelistae;

c) Societatem studere esse similem S. Joanni in cultu B. Virginis Mariae, cum etiam de illa valeat: „Virgo Virgini Virginem“ commendavit.

In cap. XVI. vero perpendimus cultum SS. Cordis invisibilis Jesu Societati maxime convenire, item cultum ecclesiasticum Cordis Jesu materialis, quatenus est symbolum amoris seu Cordis invisibilis (cap. XVII., XVIII. et XIX.).

Jam vero haec intima unio cum Jesu ejusque *Corde suavissimo et cum Corde Matris ejus suavissimae* Societatem necessario spiritu suavitatis imbuit.

3) Vidimus Societatem, cum sit tota apostolica et nota universalitatis praedita, esse flexibilem in rebus accidentalibus, ita ut possit omnia fieri omnibus terris, temporibus et hominum diversis classibus et nationibus. Jam quis non videat in hac indole flexibili Societatis magnam suavitatem contineri, qua et nobis rigor abnegationis facilior et hominibus aliis ministeria nostra dulciora redduntur (cf. etiam dicta in cap. XV. art. II. de caritate erga proximum).

ARTICULUS II.

Suavitas regiminis paterni Societati convenit et in Constitutionibus et Regulis praescribitur.

Societati Cordis Jesu, quae ex sua indole suavitate imbuitur, non potest convenire nisi regimen paternum, cujus suavitas rigorem abnegationis quidem minime tollat nec relaxet, sed leniat et dulciorem reddat. Formula Instituti in Bullis Pauli III. et Julii III. contenta hac de re ait: (Praepositus Generalis) „jubeat autem ea,

quae ad constructionem propositi sibi a Deo et a societate finis cognoverit esse opportuna; et in praelatione sua *benignitatis, mansuetudinis caritatisque Christi, Petri Paulique formulae semper sit memor,* et tam ipse quam consilium praedictum ad normam hanc *assidue* spectent."

Locos, quibus suavitas talis regiminis in Constitutionibus et Regulis commendatur, collectos conspectui exhibeamus.

1) *De Praeposito Generali* S. Ignatius in P. 9. Constit. c. 2. n. 2. ait: „Praecipue in eo *splendor caritatis* erga omnes proximos et inprimis erga Societatem ac verae humilitatis, quae Deo et hominibus *amabilem* eum reddant, sit conspicuus."

Ibid. n. 4. dicitur: „Eo modo didicerit rectitudinem ac severitatem necessariam cum *benignitate et mansuetudine miscere,* ut nec se flecti sinat ab eo, quod Deo ac Domino nostro gratius fore judicaverit, et tamen filiis suis, ut convenit, *compati noverit* eo modo se gerendo, ut etiam, qui reprehenduntur vel corriguntur, quamvis secundum inferiorem hominem quod agitur, displiceat, agnoscant nihilominus, quod recte in Domino et *cum caritate* ille suum officium faciat."

Ibid. n. 5. dicitur: „Animi etiam magnitudo ac fortitudo est ei pernecessaria *ad infirmitatem multorum ferendam* et res magnas in divino servitio aggrediendas."

2) *De omnibus Superioribus* in P. 8. c. 1. n. 6. G. dicitur: „Juvabit etiam inprimis inter alia Dei

dona bona aestimatio, auctoritas erga subditos, *et habere ac prae se ferre dilectionem et curam illorum,* ita ut subditi sibi persuadeant, suum Superiorem scire, velle et posse bene ipsos in Domino gubernare. . . . Conferet etiam circumspecte et ordinate praecipere, eo modo curando subditos in obedientiae officio continere, ut Superior *omni benevolentia et modestia et caritate* in Domino, quod in ipso est, utatur, ita ut subditi se *potius ad dilectionem majorem, quam ad timorem* suorum Superiorum possint componere, quamvis aliquando utrumque sit utile, *eorum etiam arbitrio aliquid relinquendo,* cum probabile videbitur, quod eos id juvabit, aliquando *etiam eis ex parte aliquid indulgendo* et *compatiendo,* cum videretur id posse magis convenire."

In 3. P. Const. c. 1. n. 15. S. Pater ait: „In correctionibus et poenitentiis injungendis qui modus teneri debeat, *prudenti caritati* Superioris et eorum, quos sibi substituerit, relinquetur, qui in eis rationem habeant *dispositionis* personarum et *aedificationis* universalis et particularis ad gloriam Dei."

Additur ibid. N. declaratio: „In correctionibus (licet prudentia rebus particularibus adhibita hunc ordinem mutare possit) est advertendum, quod *primo in caritate et dulcedine*, qui peccant, sunt admonendi; secundo *in caritate quidem,* sed eo tamen modo, ut eis confusio et rubor injiciatur; tertio *amori* ea, quae timorem incutiunt, adjician-

tur. De publicis autem defectibus publica debet esse poenitentia, iis tantum, quae ad omnium aedificationem faciunt, declaratis."

In 3. P. Const. c. 2. n. 4. D. dicitur: „A prandio, praesertim in aestate, per unius vel duarum horarum spatium *permitti non debent,* quoad ejus fieri poterit, corporis aut mentis *graviora exercitia.* Si quid vero necessitas postulaverit, id *quanta poterit caritate* erit metiendum et *moderandum.*" Ibid. decl. ad n. 6. dicitur: *„Cura habeatur aegrotorum magna."*

In 2. P. Const. c. 2. n. 26. suavitas commendatur *in modo* aliquem e Societate *dimittendi.*

3) *In Regulis particularibus haec continentur:*

a) *In Regulis Praepositi Provincialis:*

C. 1. n. 3.: „Imitetur in gubernatione *caritatem, mansuetudinem et gubernationem* Christi Domini nostri, ut juxta eam normam, quam tradiderunt Apostoli, non dominans, sed ‚forma factus gregis ex animo' exemplo magis quam verbo subditos ad perfectionem dirigat."

Reg. Prov. n. 4.: „Severitatem suo tempore *cum benignitate* misceat suamque auctoritatem per solidas virtutes tueatur, ac *dilectionem et curam suam* prae se ferendo modeste et circumspecte praecipiendo ita *amabilem* se reddat, ut omnes fidenter ad illum recurrere possint."

Reg. Prov. n. 122.: „Postea ad visitationem personarum accedat et curet, ut *omnibus benevolum* se exhibeat, ne alicujus mentem subeat

suspicio, quod ob sinistras informationes *minus hilarem vultum ei ostendat.*"

Reg. Prov. c. 15. in fine de ratione conscientiae dicitur: „Denique eam *suavitatem* teneat, ut illa omnia non tanquam judex exigere, sed ut *benignus* parens ob subditi *consolationem* cognoscere velle videatur."

b) *In Regulis Rectoris* dicitur: In 25.: „Crebro et *magna caritatis significatione* alloquatur subditos eorumque *necessitatibus* non corporis tantum, sed multo etiam magis animae *paterno affectu prospiciat.* Si quem vero intelligat aliqua tentatione pulsari, praesertim gravi, ejus peculiarem curam et sollicitudinem non solum per se, sed etiam, si necesse fuerit, per alios gerat, nec remedium longius differendo difficiliorem morbi curationem efficiat."

Reg. Rect. 59.: „*Aegrotorum cura habeatur magna* et observetur *diligenter* tam in victus ratione, quam in ceteris, quae medicus praescripserit."

Reg. Rect. 80.: „*Caritatem magnam* exhibeat erga alios de Societate per Collegium transeuntes eosque *amanter* hospitio excipiat."

Reg. Rect. 85.: „Omnia, quae ad iter necessaria erunt, *magna caritatis significatione* ab eo loco, unde mittuntur, subministrentur."

Regulae Praepositi Domus professae circa suavitatem sunt eaedem; praeterea autem cf. et n. 62.

c) In Regulis Magistri Novitiorum et Socii ejus eadem caritas et suavitas inculcatur. Vide Reg. 2. Mag. Nov. et Socii Mag. Nov. 4. et 10.

d) In Instructione ad reddendam rationem conscientiae indicatur initio, eam fieri, „ut subditi magis in spiritu cum gratia uberiore proficiant ac tanto majore cum diligentia, *amore* et sollicitudine juvari et a periculis conservari possint . . .“

e) *Reg. Ministri* 13. ait: „Studeat animos Patrum et Fratrum inter se *per benevolentiam* et praesertim cum Superiore per obedientiam unire . . . in reprehensionibus ab omni perturbatione caveat *caritatemque* prae se ferendo studeat, ut illi, quibus poenitentiam imponet, merito sibi injungi cognoscant.“

f) *Reg. Praefecti rerum spiritualium* 1. dicit: „. . . *Amabilem* se eis exhibeat, ut ad eum omnes confugiant confidenterque sua omnia detegant et ab eo *consolationem et auxilium sperent in Domino.*“

Qui haec attente considerat, libenter concedet, suavitatem Societatis non esse nimis mollem, quae defectibus faveat et relaxet, sed talem, quae correctionem et severitatem non excludat; eam esse quidem suavitatem paternam, imo, praesertim si praxis S. Ignatii agendi cum aegrotis spectetur, etiam maternam, nihilominus autem ejusmodi, quae abnegationi vocationi apostolicae convenienti campum amplissimum relinquat.

De suavitate regiminis praeclare agunt haec opuscula maxime commendanda: Lancitius, De conditionibus boni Superioris; Stephanus *Binet,* dell'arte di governare, trad. dal francese d. Ant. Bres-

ciani; Hubertus *Wilthemius,* Monita et exempla gubernandi a Christo ejusque imitatore S. Ignatio S. J. Fund. et aliis viris sanctis et sapientibus relicta. Ex typ. Colleg. Payannensis.

ARTICULUS III.

Suavitas caritatis fraternae, quae est quasi Societatis pupilla, abnegationis rigorem reddit mitiorem.

1) Ut regimen paternum suavitatem diffundere possit, subditi pro sua parte *erga Superiores caritatem exercere* debent eorumque onus levare aperto animo ad eos confugiendo, eorum defectus patienter sufferendo et obedientia prompta eorum voluntatem sequendo. Sed suavitas Societatis facile minuitur, nisi etiam *subditi inter se valde* uniti fuerint. Centrum unionis suavissimum et fortissimum a S. Ignatio toti Societati proponitur his verbis (8. P. Const. c. 1. n. 8.):

„Praecipuum utriusque partis vinculum ad membrorum inter se et cum capite suo unionem *amor est Dei Domini nostri Jesu Christi, cum cujus divina ac summa Bonitate* si Superior et inferiores valde uniti fuerint, perfacile inter se ipsos unientur, idque per *eundem illum amorem* fiet, qui a Deo descendens ad omnes proximos ac peculiari ratione ad corpus Societatis pertinget. *Caritas* itaque, et ut in universum dicatur, omnis probitas ac virtus, qua juxta spiritum procedatur, ad unionem ex utraque parte valebit, et quod inde sequitur, omnis rerum temporalium contemptus,

in quibus *sui ipsius amor, gravissimus hujus unionis ac boni universalis hostis*, errare solet."

2) Gagliardi de plena cogn. Instituti P. II. de via illum. XV. 7. ait: „Ad hanc (caritatem) conservandam et augendam multa providit Pater Ignatius in Societate: 1) noluit admitti homines aliarum Religionum, ut omnes essent veluti unius coloris et similitudinis. 2) Vult expelli ut pestem divisionis et dissensionis auctores. 3) Uniformitatem esse servandam in omnibus, tum in lingua et idiomate, tum in doctrina, tum in judicio practico rerum gerendarum, tum in ceremoniis Missae, vestitu, modo agendi cum poenitentibus et reliquis proximis, in omnibus ministeriis quantum ejus fieri potest. Approbat 4) communicationem litterarum ultro citroque missarum et permixtionem nationum, et 5) crebros sermones et exhortationes ad mutuam caritatem. 6) Vult detegi et corrigi invicem defectus, manifestari tentationes aliorum, cum opus est ad correctionem, secus vero celari et contegi, ita ut etiam de his, qui dimittuntur, quantum fieri potest, bene sentiatur et dicatur, imo et dimittantur bene affecti erga Societatem." 7) Vult, ut alias nationes singulari amore prosequamur.

Cum igitur „Societas Jesu nihil sit nisi societas amoris", ut S. Franciscus Xaverius dixisse fertur, etiam suavitas amoris et solatium *ex mutuo auxilio* in Societate rigorem abnegationis mitiorem reddit.

ARTICULUS IV.

Suavitati vitae in Societate respondet suavitas mortis perseverantium in illa.

Arcta unio cum Jesu ejusque SS. Corde mortem reddit suavem. Jam vero, qui moriuntur in Societate, in hac arcta unione moriuntur, non solum spectato externo vinculo cum Societate uniti, sed simul interno vinculo gratiae sanctificantis cum Jesu conjuncti; id sane probabilissimum est tum ob revelationes privatas fide humana non indignas, tum ob magnum prorsus numerum eorum, qui in Societate non perseverant, tum ob internas rationes. De hac opinione fundatissima cf. opusculum P. Terrien S. J.: „Recherches historiques de la tradition, que la mort dans la Compagnie de Jésus est un gage certain de la prédestination.“ Poitiers chez Oudin 1874.

VI. NOTA SEXTA.

Firmitas seu soliditas Societatis Jesu.

CAPUT XXXIV.

Societas Jesu soliditatem prorsus singularem habet.

ARTICULUS I.

Tota structura et indoles Societatis tali firmitate praedita est, ut aedificio solidissimo comparari possit.

1) Societas fundata est *in petra Sedis Apostolicae* non tantum, quatenus sicut omnes Ordines a Summo Pontifice approbata est, sed etiam qua-

tenus per quartum votum Professorum solemne singulari modo servitio Vicarii Christi dicata est et regulas libri Exercitiorum „ad sentiendum cum Ecclesia“ perfecte sequi studet tum in sua doctrina, tum in praxi vitae privatae, tum in ministeriis apostolicis.

2) Societas est exstructa *secundum formam et ideam* S. Ignatio *divinitus* communicatam (cf. cap. X.).

3) Societas erecta est *methodo solidissima* magnae deliberationis cum multis precibus, lacrymis et Missae sacrificiis S. Patris conjunctae, et per electionem sociorum eximiorum, quos ipse S. Pater exercitiis longis formavit.

4) Societatis structura (cf. totam Sect. V. P. I.) tam apte respondet ejus fini et tam firma est, ut admirationem etiam adversariorum ejus non raro excitaverit [1] et ut nunquam reformatione, secus ac quidam alii Ordines, indiguerit. Rationes hujus firmitatis et perennitatis internae hae potissimum sunt:

a) *Principia conservationis negativa*, i. e. ea, quae de impedimentis ingressus et de dimissione

[1] Ita e. g. das Staatslexikon von Rotteck und Welcker in Art. „Jesuiten und Jesuitismus“ a Jordan conscripto dicit: „Keine menschliche Einrichtung war je *riesenhafter* im Ganzen und *fester in den Gefügen* der einzelnen Theile, als der Bau dieses Ordens, der, selbst äusserlich zertrümmert, dennoch innerlich in seinen Theilen zusammenhing, unsichtbar fortbestand und in günstiger Zeit wieder mit alter Kraft zum Vorschein kam.“

statuta sunt; per haec enim materia illa arcetur aut removetur ab aedificio, quae non satis firma est aut non satis indoli structurae adaptari nec firmiter muris inseri potest (cf. dicta Sect. IV. P. I. de causa materiali).

b) *Principia conservationis positiva:* longae probationes, efficax regiminis forma (cf. P. I. cap. XXVIII.), murus strictae paupertatis, cujus relaxatio tum per votum simplex Professorum, tum per efficaciam regiminis praecavetur, votum Professorum non ambiendi et ambientes omnes, etiam eos, qui Professi non sunt, manifestandi necnon poenae severissimae in ambientes statutae, exercitia S. Ignatii bis in vita per mensem instituenda, *reformatio interna perpetua* per exercitia octo dierum omni anno facienda, per meditationem quotidianam, per examina bis in die, per multa alia opera vitae contemplativae, per visitationes domorum et perpetuum litterarum commercium Superiorum localium cum Provinciali et omnium cum Generali etc., per rationem conscientiae, per manifestationem defectuum etc. etc. *Brevi:* principia conservationis positiva sunt *media efficacissima fini modo admirabili accommodata, quae res sapientiam humana altiorem manifestat.*

ARTICULUS II.

Societas in studio perfectionis propriae magnae soliditati studet.

1) S. Pater in 10. P. Const. n. 2. ait: „Videtur itaque in universum curandum esse, ut omnes,

qui se Societati addixerunt, in virtutum *solidarum* ac perfectarum et spiritualium studium rerum incumbant, ac in hujusmodi majus momentum quam in doctrina vel aliis donis naturalibus et humanis constitutum esse ducant. Illa enim interiora sunt, ex quibus efficaciam ad exteriora permanare ad finem nobis propositum oportet" (cf. Reg. Summ. 16.).

2) Quantopere Societas soliditati seu firmitati virtutum studeat, maxime ex longis et multis probationibus et ex ultimis votis diu dilatis elucet.

3) Idem ostendunt luculenter, quae *de rigore magno abnegationis* dicta sunt (cap. XXXII.) et de magno *humilitatis* studio seu de profunditate Societatis (cap. XXXI.). Abnegatio enim et humilitas praecipua sunt criteria virtutis genuinae et solidae.

4) Modum in perfectionem incumbendi et doctrinam et praxin asceseos didicit et discit Societas *ex libro Exercitiorum.* Jam vero Exercitiorum liber prorsus alienus est ab ascesi phantastica vel in meris affectibus innixa, et sobrium docet virtutis studium principiis inconcussis rationis et revelationis conforme. Exercitia igitur, ut fateri debent omnes eorum periti, solidissimam ascesin docent, et Societas soliditatem studii perfectionis ex illis potissimum acquirit.

5) Quare mirandum non est, quod S. Ignatius in Professis et Coadjutoribus formatis ejusmodi virtutem supponit, quam his verbis describit 6. P. Const. c. 3. n. 1: „Quoniam habita ratione

temporis et approbatione vitae, *quae exspectatur,* ut aliqui ad Professionem vel in Coadjutores formatos in Societate admittantur, tanquam *certum* ducitur, *eos viros spirituales futuros et qui sic in via Christi Domini* nostri profecerint, ut per eam currere possint, quantum corporis valetudo et externae occupationes caritatis atque obedientiae permittent: non videtur in iis, quae ad orationem, meditationem et studium pertinent, ut nec in corporali exercitatione jejuniorum, vigiliarum et aliarum rerum ad austeritatem vel corporis castigationem spectantium, *ulla regula eis praescribenda, nisi* quam discreta caritas unicuique dictaverit, dum tamen semper Confessarius consulatur et ubi dubium acciderit, quid conveniat, res ad Superiorem deferatur."

Jam vero haec idea S. Ignatii de Professis et Coadjutoribus formatis, qui sint „viri *spirituales,* qui ita profecerint, ut in via Christi Domini nostri *currere* possint" et quibus *tanta libertas sit* concedenda, est profecto idea virorum virtute prorsus firma et solida praeditorum.

ARTICULUS III.

Societas magnum momentum in scientia solida constituit.

Hoc elucet a) ex longis multorum annorum studiis, quibus suos alumnos excolit tot tantisque sumptibus susceptis, cujus rei exemplum in aliis Ordinibus non invenitur;

b) ex magno numero examinum;

c) ex examine ultimo, quod dicimus „ad gradum“, coram juratis examinatoribus subeundo, cujus felix successus plerumque conditio est Professionis solemnis quatuor votorum;

d) ex diversis Instituti locis, in quibus *solida et magis probata* doctrina commendatur, ex quibus afferre sufficiat verba S. Ignatii in 4. P. Const. c. 5. n. 4.: „Sequantur in quavis facultate *securiorem et magis approbatam* doctrinam et eos auctores, qui eam docent“; et c. 14. n. 1.: „Generatim (ut dictum est, cum de Collegiis ageretur) illi praelegentur libri, qui in quavis facultate *solidioris* ac securioris doctrinae habebuntur. Nec illi sunt attingendi, quorum doctrina vel auctores suspecti sint.“ Idem elucet

e) ex modo studendi, qui Scholasticis praescribitur in Regulis ipsorum praesertim 4. et 12., quae methodum prorsum solidam continent, et Reg. 2. de seria et constanti applicatione animi ad studia (cf. 4. P. Constit. c. 4. n. 2. et c. 6. n. 2.);

f) ex eo, quod societas a Scholasticis impedimenta studiorum magna cura removere conatur, ut melius proficiant, et quod multum temporis studiis tribuendum praescribit, determinato tempore pro rebus spiritualibus, ne quis falsa pietate deceptus loco studii orationi vacet (cf. ibid.).

Adverte societatem non in solis Professis (in quibus eximia scientia requiritur), sed etiam in Coadjutoribus spiritualibus solidam quandam scientiam requirere. Hac de re Epitome Instituti

plures locos conjungens ait: „ipsi (Coadjutores spir.) in suo genere *selecti* esse debent (8. P. Const. c. 1. n. 2.) et *litteris sufficienter ornati,* ut Societatem in rebus spiritualibus juvent (Exam. c. 6. n. 1.), scil. in audiendis Confessionibus, in exhortationibus, in doctrina Christiana, in litteris aliis edocendis“ (ibid. n. 2.), quae sane sine solida scientia praestari *bene* non possunt [1].

ARTICULUS IV.

Societas in suis laboribus apostolicis soliditati studet.

1) Societas vi finis sui in ministeriis apostolicis solidissime procedit, cum suos doceat non ea potissimum suscipere, quae grata sunt vel splendent, sed quae, spectatis omnibus, magis ad gloriam Dei et auxilium animarum conferunt; e. g. docet nos utilitatem communem particulari, stabilem transitoriae praeferre; ideo e. g. Societas tanti aestimat instructionem rudium in doctrina Christiana, educationem puerorum religiosam, ita ut in ipsis formulis votorum Professorum et Coadjutorum spiritualium illius mentio fiat, quamvis votum speciale de eadem non emittatur; ideo operarii secundum spiritum Societatis magis cum

[1] Adverte etiam fideles quoque, qui discrimen inter Professos et Coadjutores ignorant, in his etiam scientiam solidam requirere, et Coadjutores saepe aeque ac Professos in suis ministeriis Societatem repraesentare ac hujus famam doctrinae facile labefactare, si se parum solide instructos saecularibus ostendant.

viris quam cum mulieribus occupari debent, cum viri sint capita familiarum et viri vitam publicam dirigant; quamvis, si directe eos ad se trahere et Christo lucrari nequeant, nihil restet, quam ut per uxores in maritos, et per matres in filios, qui futuri sunt viri, influant.

2) S. Ignatius vult, ut Societas in salutem et *perfectionem* proximorum *impense* incumbat, igitur, ut non solum contenti simus, si homines non aeternum pereant, sed ut, quantum fieri possit, et eos in virtute promoveamus et ad majorem gloriam in coelo assequendam provehere conemur.

3) Societas soliditatem hanc promovet indirecte et directe; *indirecte* per studium solidarum virtutum et ascesin solidissimam ex Exercitiis haustam, per soliditatem in scientiis acquirendis et totius Societatis in reliquis indolem solidissimam; *directe* vero per solidissima monita et praescripta pro diversis officiis implendis, quibus plenum est Institutum. Confer e. g. regulas Sacerdotum, Concionatorum, Missionariorum, rationem studiorum, quae magistros juventutis principia paedagogica et praxes optimas edocet, industrias R. P. Claudii Aquaviva ad curandos animi morbos etc.

4) Solidum procedendi modum Societatis *historia ejus universa* testatur et effectus praeclari laborum apostolicorum in diversis mundi partibus; ex fructibus enim cognoscitur arbor.

CONCLUSIO.

De praestantia Societatis deque in eam amore.

Ex omnibus, quae de causis et notis Societatis dicta sunt, elucet, praestantiam Societatis esse prorsus *eximiam et singularem*. Finis enim, qui secundum philosophos et omnium persuasionem est norma praecipua perfectionis rerum, tam sublimis est, ut altior cogitari nequeat, media vero fini tam proportionata sunt, ut haec harmonia sapientiam humana altiorem manifestet. Sive praeterea universalitas Societatis sive ejus profunditas spectatur, sive admiranda rigoris maximi cum suavitate singulari conjunctio, quae cum eximia soliditate sociata est, consideratur, *splendor quidam divinus animum in admirationem rapit, ad amorem trahit et accendit.*

CAPUT XXXV.

De amore Societatis genuino.

ARTICULUS I.

Quid retribuendum sit Societati pro omnibus bonis, quae nobis communicat.

1) Societas tanquam bona mater tot sumptibus et curis ab initio ingressus nos aluit, instruxit, educavit. — Quid igitur retribuendum?

2) Societas nobis communicat finem suum sublimem et innumera atque efficacia media ad eum assequendum, quae ipsa per Spiritum Sanctum, per S. Ignatium et Summos Pontifices accepit (cf. P. I. Sect. I. et II.). — Quid retribuendum?

3) Societas nobis proponit exemplar suum, quod est Christus Dominus, nosque intime unit cum eodem tanquam capite nostro et fonte vitae; et quia Societas Jesu est Societas Cordis Jesu, nos omnes et singulos Socios Cordis Jesu efficit et Apostolos, qui similes fieri debeant Joanni Apostolo et Evangelistae super pectus Domini recumbenti (cf. P. I. Sect. III.). — Quid retribuendum?

4) Societas nos corpori suo inseruit nos recipiendo ad primam Probationem et postea per vota, quae emittentes vere Religiosos et Deo dicatos in Societate Jesu constituunt, cum voventes pro sua parte se in perpetuum ei tradant (cf. cap. XXII.) et holocaustum evadant (cap. II. art. III.). — Quid retribuendum?

5) Societas nobis spiritum suum communicat apostolicum cum proprietatibus seu notis suis illi prorsus respondentem, spiritum universalem, sublimem, profundum, rigidum, suavem et solidum (cf. P. II.). — Quid retribuendum?

ARTICULUS II.

Quales dotes habere debeat amor Societatis.

1) Amor genuinus Societatis *qualis non sit:* a) non est phantasticus in imaginatione status cujusdam coelestis innixus, qui huic mortali vitae non convenit, sed innixus in vero pretio veraque sanctitate Societatis, quae multos defectus et miserias humanas, physicas et morales, in suis membris non excludit (cf. cap. XXI.). — Amor genuinus b) non est in consolationibus spiritualibus unice nec potissimum fundatus; neque c) generatim in affectibus, qui sunt mutabiles et a nobis plerumque non pendent. Amor genuinus d) fundatus non est in dotibus hujus vel illius Superioris, qui nos benigne tractat, neque e) generatim in motivis mere naturalibus, multo minus f) in motivis mundanis, e. g. in spe honoris per Societatem obtinendae vel victus melioris habendi. Amor genuinus Societatis g) non est caecus circa defectus proprios nec superbus, spernens alios Ordines religiosos, qui etiam sanctissimi sunt et saepe magna merita in servitio Ecclesiae sibi compararunt.

2) Amor genuinus Societatis *oritur ex clara cognitione* thesaurorum spiritualium, quae ipsa a Deo accepit et nobis communicat, et foveri potest consideratione omnium, quae in hoc opusculo tractata sunt.

3) Amor genuinus Societatis est:

a) amor *pectus dilatans* per latitudinem seu universalitatem Societatis;

b) amor *pectus elevans* per altitudinem seu sublimitatem Societatis;

c) amor *humilis* per profunditatem seu humilitatem Societatis;

f) amor ad *abnegationem* sui perpetuam excitans per asperitatem seu rigorem Societatis;

g) amor *suavis* per suavitatem Societatis;

h) amor *firmus et solidus* per soliditatem Societatis;

i) amor *accendens* studium perfectionis et zelum animarum ad majorem Dei gloriam vita mixta obtinendam et quidem modo prorsus apostolico promovendam;

k) amor *impellens ad unionem cum Christo* ejusque SS. Corde et hujus cultum omni modo propagandum;

l) amor *movens ad cognitionem* perfectiorem Societatis et ad perfectiorem Instituti observationem;

m) amor *promptus ad omnia sacrificia* in Societate et pro Societate ferenda, quaecumque Deus per Superiores exegerit;

n) amor *maxime desiderans perseverantiam et mortem* in Societate, ita ut impellamur α) ad *quotidie* supplicandum secundum illud: „Unam

petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae" (Ps. 26, 4.); β) ad constantiam in rebus spiritualibus peragendis, ad obedientiam, humilitatem et cultum singularem S. P. Ignatii, S. Joseph, B. Virginis, Reginae et Matris Societatis ac SS. Cordis Jesu; haec enim sunt pignora peculiaria perseverantiae.

APPENDIX.

Comparatio Instituti Societatis cum Exercitiis S. Ignatii.

Non raro auditur spiritum Exercitiorum et Instituti Societatis esse eundem; nec id immerito dicitur, non tantum quia utriusque operis idem est auctor, sed etiam quia discipuli S. Ignatii per exercitia potissimum semper excolebantur et excoluntur. Non tamen inde sequitur, per exercitia a quolibet *necessario* spiritum Societati proprium hauriri, prout a spiritu bonorum Christianorum, Sacerdotum saecularium vel Ordinum monachalium differt. Cum enim Exercitia finem universaliorem habeant, quam tantum membra Societatis formare, et pro omnibus hominum statibus reformandis sint praeclarum instrumentum, ab eo, qui per illa spiritum Societati proprium haurire desiderat, *prae oculis semper haberi debet propria Societatis indoles.* Quare inutile non erit Institutum Societatis accuratius cum Exercitiis comparare. Igitur:

A. Comparatio in genere.

1) *Exercitia*

in libro S. Ignatii exposita sunt *palaestra vitae spiritualis pro omnibus hominibus Christianis* cujusque status et indolis, dummodo habeant plenum usum rationis et fidem ac sint in Catechismo instructi.

2) Sunt *praeclarum* instrumentum ad salutem et perfectionem hominum promovendam; ut *Paulus III.* in Constit. „Pastoralis officii" expressit his verbis:

„Nos igitur, qui documenta et exercitia hujusmodi examinari fecimus, et quae testimonio et relatione . . . Nobis desuper facta, *pietate ac sanctitate plena* ad aedificationem et spiritualem profectum fidelium *valde utilia ac salubria esse* comperimus; debitum etiam *respectum ad fructus* uberes, quos Ignatius et ab ipso instituta Societas praefata in Ecclesia Dei ubique producere non cessant et ad *maximum adjumentum,* quod ad

1) *Institutum*

continet *excellentissima quaeque* ex Exercitiis in concreto expressa et velut *corpore donata,* prout Ordini religioso, qui *totus est apostolicus,* convenit.

2) Hoc instrumentum vero Exercitiorum *Societati commissum esse est singulare beneficium Dei* vocationi nostrae apostolicae accommodatissimum. Quare peritia in illis tradendis est acquirenda.

S. Pater in 4. P. Const. c. 8. n. 5. ait: „Ad exercitia spiritualia aliis tradenda, postquam in se ea expertus fuerit, assuescant et dent operam *omnes,* ut eorum reddere rationem et in hoc armorum spiritualium genere tractando (quod Dei gratia ad ipsius obsequium tantopere conferre cernitur) *dexteritatem* habere possint."

In 7. P. c. 4. n. 8. ait: „Curabunt etiam privatim proximum piis colloquiis

(Exercitia.)

id praedicta exercitia attulerunt, non immerito *habentes*: hujusmodi supplicationibus" (scil. S. Borgiae Ducis Gandiae) „inclinati documenta et exercitia praedicta ac omnia et singula in eis contenta auctoritate praedicta tenore praesentium ex certa scientia nostra approbamus, collaudamus ac praesentis scripti patrocinio communimus, hortantes plurimum in Domino omnes et singulos utriusque sexus Christifideles ubilibet constitutos, ut tam piis documentis et Exercitiis uti *et illis instrui devote velint* . . ."

3) In libro Exercitiorum *ascetica continetur doctrina omnibus* Christianis utilissima, quae est a) rationabilis tota et discreta; b) securissima omnino utpote revelationi et rationi undequaque conformis; c) simplex simul et alta; d) sancta et lumine coelesti plena.

(Institutum.)

ad meliora promovere, tum consilio tum exhortatione ad bona opera tum etiam *tradendis exercitiis*."

In Reg. 7. Sacerdotum dicitur: „*Intelligant, sibi ratione peculiari incumbere,* ut Exercitiorum spiritualium, quae tantopere ad Dei obsequium conferre cernuntur, usum *valde familiarem habeant*, quo et alios ad ea suscipienda adducere et in eo tam utili armorum spiritualium genere dexteritatem habere possint."

Cum haec peritia non brevi tempore acquiratur, studium libri Exercitiorum usque ad Sacerdotium differendum non est.

3) Cum Societas ab omnibus aliis Ordinibus differat et vi finis sui ascesin sibi peculiarem et propriam habeat (cf. cp. VI. art. III.), etiam doctrina ascetica Exercitiorum, quae universalis est, in Instituto singulari modo ad Societatem, cujus indoles tota est apostolica, *applicatur et ita magis determinatur*.

(Exercitia.)	*(Institutum.)*
4) Exercitia comparari possunt cum exercitiis militaribus (maneuvres), quibus milites ad veram pugnam praeparantur. Ecclesia Christi enim hac in terra est „militans“, et Christiani sunt milites Christi.	4) Societas secundum ideam S. Ignatii est (compagnia) cohors selecta equitum, qui insignes esse volunt in pugna cum Christo et pro Christo, Duce ac Rege; quare exercitia ipsi commissa sunt, ut suos egregie exerceat et alios milites ad pugnam praeparet.

B. Comparatio in specie

secundum ordinem libri Exercitiorum.

I. Annotationes.	*Institutum.*
1) Annot. 1. *scopum Exercitiorum* indicat: „praeparare animam et disponere ad tollendas a se omnes affectiones deordinatas,“ i. e. disponere *ad abnegationem* diversi gradus diversaeque rationis pro diversa hominum indole, „et postquam quis eas sustulerit ad quaerendam et inveniendam *voluntatem divinam* in vitae suae dispositione *ad salutem animae*“.	1) Duplici huic fini Exercitiorum respondet Societatis perfectio: magnus rigor abnegationis, per quem Societas ad Ordines rigidissimos pertinet (cap. XXXII.), et vita, qua non tantum voluntas Dei in vitae dispositione ad salutem animae, sed etiam ad *perfectionem altiorem* animae propriae prorsus *apostolicam*, et ideo etiam ad salutem perfectionemque aliorum directa inveniatur.
2) Secundum annot. 4., 18. et 19. exercitia sunt universalia et flexibilia, quatenus possunt contrahi	2) Universalitati et indoli flexibili Exercitiorum respondet Societatis universalitas et indoles flexi-

(Exercitia.)

vel extendi et diversitati hominum et statuum accommodari.

3) Annotatio 8. magnum principium asceticum enuntiat commendando liberalitatem erga Deum, qua, qui Exercitia aggreditur, „omne suum velle et libertatem“ illi offert, ut divina voluntas tam de se, quam de omnibus, quae habet, disponat. In ann. 20. vero commendatur liberalitas erga Deum quoad segregationem a cognatis, amicis et notis.

4) In annot. 2. *momentum cognitionis proprio conatu acquisitae* ad progressum spiritualis vitae commemoratur. Dicitur enim: „is, qui contemplatur sumens verum fundamentum historiae, *discurrendo et ratiocinando per se ipsum* et aliquid inveniendo, quod paulo magis declarari vel sentiri faciat historiam, sive (id accidat) per propriam ra-

(Institutum.)

bilis et quidem apostolica, ut possit facilius „omnibus fieri omnia“ (cf. cap. XXIX.).

3) Idem principium „liberalitatis ergo Deum“ in 3. P. Constit. c. 1. n. 22. enuntiatur: „In universum loquendo quanto aliquis se arctius Deo obstrinxerit et *liberaliorem* erga summam Majestatem se praestiterit, tanto eum in se liberaliorem etiam experietur“ (cf. Reg. 19. Summ.). Facile etiam patet Institutum integrum esse perfectissimam hujus principii expressionem, cum altissimam perfectionem assequendam proponat.

4) *Momentum cognitionis clarae proprio conatu acquisitae* etiam in Instituto inculcatur. Postulatur enim, ut ingredientes Societatem propria *consideratione eâque repetita* illam clare cognoscant, et exigitur, ut tirones sexto quoque mense *„mature“* et „per otium“ de vocatione sua cogitent legendo Constitutiones Apostolicas et Regulas, necnon ut de ea

(Exercitia.)

tiocinationem, sive in quantum intellectus divina virtute illustratur, (id) *majoris esse* gustus et *fructus* spiritualis" [1].

Etiam per universa Exercitia propria cognitio multum exercetur et perficitur et saepissime, praesertim in praeludiis et colloquiis docemur lumen Dei petere pro intellectu.

II. Additiones.

1) Additiones sunt monita quaedam *in se exigua* „ad melius facienda Exercitia et ad melius inveniendum id, quod desiderat, qui exercetur". Apparet singularis sollicitudo S. Ignatii in proponendis his additionibus, cum eas pro diversis hebdomadibus ex parte mutet et hortetur (add. 10. pro 2. hebd.), ut omnes decem fiant „cum multa cura". Easdem etiam Directorium Exerc. (c. 15. n. 9.) et omnes periti magni semper faciunt.

(Institutum.)

examinentur, „quod ideo fit, ut utrimque majori cum claritate et cognitione in Domino procedatur" (Exam. c. 1. n. 13.).

Neque aliud in Instituto apparet universo; omnia enim clara cognitione et prudentia disponuntur eaque uti perpetuo docemur.

Institutum.

1) Cum additionibus Exercitiorum quandam analogiam habent exigua monita et regulae in Instituto contentae, quae etiam non raro propter effectus sunt magni momenti; tales sunt e. g. plures ex Regulis communibus et Regulae modestiae, pro quibus recte componendis S. Ignatius multa Sacrificia Missae obtulit, multas orationes et lacrymas fudit.

[1] In reliquis annot. plura exponuntur, quae ad discretionem spirituum et electionem pertinent et cum Regulis infra commemorantur pag. 285., 286. et 288.

(Exercitia.)

2) Haec sollicitudo S. Ignatii de additionibus nos docet principium vitae spiritualis gravissimum, *res minutas* in servitio Dei non esse *spernendas,* sed propter effectus magnos magni aestimandas esse, quamvis anxietas nimia in illis servandis sit vitanda et quamvis minores per se majoribus rebus non sint praeferendae.

3) S. Ignatius additiones mutando et diversis hebdomadis accommodando docet nos magnum principium vitae spiritualis: *media esse accommodanda fini, non finem mediis;* ideo etiam in quibusdam magnam libertatem relinquit, ut e. g. in corporis situ tempore orationis adhibendo; ideo nos docet mutare praeludii secundi vel tertii orationem: „petere id, quod volo; et erit hîc etc.“; ideo dicit, luce vel obscuritate in cubiculo et amoeno tempore esse utendum, „quatenus senserit (aliquis) sibi prodesse et juvare“ etc., ideo hebdomades possunt contrahi vel extendi.

(Institutum.)

2) Hoc principium etiam in praxi Societatis servatur. Et profecto negari nequit, res etiam minutas servari constanter non posse sine magna abnegatione sui et ideo sine multis meritis pro coelo et profectu in virtutibus, praesertim, si ex altis motivis diversarum virtutum serventur.

3) Hujus principii: „media esse accommodanda fini“ universum Institutum viva expressio est. Sane Institutum mutabile est in accidentalibus pro temporum, locorum hominumque adjunctis diversis; ideo Superioribus potestas data est res minores determinandi, regulas quasdam accommodandi, vel etiam ab illis dispensandi „prout magis ad Dei gloriam et animarum auxilium conferre videatur“. Aliis verbis: Institutum, cum sit universalissimum, est in substantialibus immutabile, in accidentalibus vero flexibile (cf. dicta in cap. XXIX.).

(Exercitia.)	*(Institutum.)*
4) In „Notando“ tertio post Addit. dicitur: „aliquibus plus convenit poenitentiae et aliis minus,“ et expedire etiam saepe mutationem facere in diversis modis poenitentiae adhibendis.	4) Huic „Notando“ in Societate respondet praxis, qua quilibet eas poenitentias assumit, quae ipsi cum consilio Superioris vel Confessarii videntur convenire, quod ipsum Institutum desiderat nihil certi omnibus praescribendo.
III. Fundamentum et principium primum Exercitiorum est:	*Fundamentum et principium primum Instituti* est:
1) „Homo creatus est, ut laudet Deum Dominum nostrum, ei reverentiam exhibeat eique serviat“; cum haec tria sint tres modi gloriae Dei externae, sensus est: *Homo creatus est ad gloriam Dei externam promovendam.*	1) Societas instituta est ad *gloriam Dei externam intensive et extensive majorem* promovendam. Hic finis ultimus Societatis cum simul sit *ejus mensura suprema,* est certe fons universalitatis, sublimitatis, profunditatis, rigoris, suavitatis et soliditatis Societatis.
2) „Et per haec salvet animam *suam*“.	2) Societas addit quaedam ad haec verba dicendo: et per haec salvet et *perficiat* animam suam, *atque salvet et perficiat animas aliorum quam plurimas.*
3) „Et reliqua super faciem terrae creata sunt propter hominem et ut eum juvent in prosecu-	3) Societas *omnia* super faciem terrae adhibet ita, ut vi indolis suae universalis et flexibilis *nihil a*

(Exercitia.)	*(Institutum.)*
tione finis, ad quem creatus est."	*priori excludat,* sed secundum mensuram gloriae Dei intensive et extensive majorem metiatur.
4) „Unde sequitur, homini *tantum* utendum illis esse, *quantum* ipsum juvent ad finem suum, et *tantum* debere eum expedire se ab illis, quantum ipsum ad eum (finem assequendum) impediant."	4) Illud *„tantum quantum"* videmus in Instituto admiranda sapientia adhibitum et expressum; media enim maxime proportionata sunt fini ipsius.
5) „Quapropter necesse est *facere nos indifferentes* etc." Haec indifferentia gradus habere potest, tum spectata intensitate, tum spectata extensione promptitudinis voluntatis ad diversa patienda et agenda.	5) Non tantum Societas indifferens est quoad media non mala, antequam videat, quid major Dei gloria exigat, sed etiam a suis membris postulat indifferentiam *prorsus perfectam,* ut excellere possint in obedientia, cujus perfectio summa omnibus assequenda proponitur.
6) „*Unice* desiderando et eligendo ea, quae *magis* nobis conducunt ad finem."	6) Illud „unice" et „magis" in Societate nobis semper ante oculos ponitur per ejus tesseram: „Omnia ad *majorem* Dei gloriam."
IV. *Prima hebdomas* viae purgativae respondens.	Huic hebdomadi in Societate respondet perpetua praxis viae purgativae.
1) Scopus hujus hebdomadis est puritas conscientiae	1) S. Ignatius in Exam. c. 4. n. 41. commendat *„continuum puritatis* et vir-

(Exercitia.)	*(Institutum.)*
	tutum *augmentum*". Hoc assequendum est:
a) per *examen generale* et *particulare*,	a) per usum examinis bis in die secundum Reg. 1. comm.;
b) per Confessionem *generalem* et *ordinariam*,	b) per Confessionem *generalem* a Candidatis initio faciendam, postea bis in anno usque ad ultima vota, dein semel in anno; et per Confessionem *semel saltem in hebdomade* instituendam praeter consilium pro Sacerdotibus, ut saepius in hebdomade confiteantur;
c) per *poenitentiae* externae usum,	c) per poenitentias externas;
d) per horrorem peccatorum et dolorem de illis, per detestationem affectionum deordinatarum et vanitatis mundi *meditationibus* obtinendam.	d) per horrorem et dolorem de peccatis etc. per ipsum usum Exercitiorum et meditationes quotidianas obtinendum.
V. *Secunda hebdomas* viae illuminativae respondens. *Imitatio Christi.*	Christus Dominus est *exemplar Societatis, ejus caput et fons vitae* (cf. Sect. III.).
1) *Exercitium de Regno Christi* est fundamentum alterum Exercitiorum, supra quod 2. 3. et 4. hebdomades superstruuntur.	1) In hoc Exercitio praeter Ecclesiam adumbratur Societas; nam
a) Repraesentatur reg-	a) hoc constat testimonio historico fide digno. P. Gonzalez enim audivit

(Exercitia.)

num Christi, quod est Ecclesia, in qua duplex status distinguitur: communis Christianorum et illorum, qui perfectioni altiori student et qui insignes esse volunt in servitio Regis.

b) Repraesentatur militia Christi ad gloriam Patris aeterni restituendam convocata; et ita quidem, ut hac imagine doceamur α) hostes expugnandos esse „sensualitatem propriam, amorem carnalem et mundanum"; quibus verbis innuitur, praecipuos hostes nostros esse nobis internos; et β) in omni Christi sequela aliquo saltem modo curam *salutis propriae cum cura salutis alienae conjungi; ex una enim parte* „terra subjicienda" est quilibet hominum, ut elucet ex indicatis hostibus, qui non vincuntur, nisi eos quisque *in se* vincat, *ex altera vero parte* imago

(Institutum.)

a S. Patre et filiis ejus, in exercitio de regno Christi S. Ignatio a Deo communicatam fuisse „*ideam* et finem Societatis" (cf. Lancitium, De praestantia Instituti c. 1. n. 7.). Jam si quaeramus, qua parte imaginis et quibus verbis Societas significata sit, elucet, Societatis membra ad illos pertinere, qui magis affici ad Christum et insignes esse volunt in Christi sequela [1].

b) Sicut imago regni Christi studium perfectionis propriae et salutis alienae intime conjunctum exhibet, ita in Societate haec duo in unum veluti *concrescunt* (cap. VI. a. II.).

[1] Fortasse praeludium de Palaestina cum opinione S. Ignatii cohaeret, quam initio habuit, Societatem pro Palaestina fundandam esse.

(Exercitia.)	*(Institutum.)*
tota labores apostolicos repraesentat.	c) S. Ignatius in Exam. c. 4. n. 44. (Reg. 11. Sum.) ait: „Diligenter advertant oportet (magni faciendo summique momenti id esse ducendo in conspectu Creatoris ac Domini nostri), quantopere juvet et conferat ad vitae spiritualis profectum, omnino et non ex parte abhorrere ab omnibus, quae mundus amat et amplectitur, et admittere et concupiscere totis viribus, quidquid Christus D. N. amavit et amplexus est“ .. (cf. etiam Reg. 12. Summ.).
c) „Tertium ii, qui magis affici volent (erga Christum Regem) et insignes se exhibere in omni servitio sui Regis aeterni ac Domini universorum, non solum offerent se totos ad laborem, sed etiam agendo contra suam propriam sensualitatem et contra suum amorem carnalem et mundanum oblationes facient majoris aestimationis et majoris momenti.“	
d) Hâc parabolâ regis temporalis suavissimâ illi, qui Exercitia faciunt, suaviter simul et fortiter *inclinantur* ad ardua quaeque *conditionate saltem* amplectenda, si Christus ea exegerit vel admiserit.	d) Ardua, ad quae, qui statum perfectionis altioris non sunt amplexi, conditionate inclinantur, ea, qui vota Societatis emittunt, *reipsa amplectuntur*, ut elucet ex comparatione formulae votorum simplicium Scholasticorum cum oblatione exercitii de regno Christi.
e) Formula oblationis: „O aeterne Domine rerum omnium!	e) Formula votorum[1]: „Omnipotens aeterne Deus!

[1] Similitudinem inter has duas formulas non videri casu factam et ideo attentione esse dignam, elucet ex dictis sub a.

(Exercitia.)	*(Institutum.)*
„ego facio meam oblationem	„ego licet undecunque in conspectu tuo indignissimus
„cum tuo favore et auxilio coram infinita bonitate tua	„fretus tamen pietate ac misericordia tua infinita, coram sacratissima Virgine Maria
„et in conspectu gloriosae Matris tuae	
„et omnium Sanctorum et Sanctarum curiae coelestis	„et curia tua coelesti universa
„quod ego volo et desidero et (haec) est mea deliberatio determinata, dummodo sit majus servitium tuum et laus tua, imitari te in ferendis omnibus injuriis et omni vituperio et omni paupertate tam actuali, quam spirituali.“	„voveo . . . divinae Majestati . . . paupertatem, castitatem et obedientiam in Societate Jesu, ut vitam in ea perpetuo degam“, quae conjuncta est cum humiliatione in ipsa Societate et cum injuriis ex parte mundi.
f) Rex in exercitio desiderat, ut subditi sint contenti eodem victu et vestitu, quo ipse utatur.	f) Societas Christo similis quoad vitam in exterioribus communem et quoad vestitum ordinarium, cum non habeat vestem Ordinis propriam nisi modestiam et opprobria.
g) Rex, qui ita se demittit, ut velit eodem victu et vestitu uti, quo subditi, est „mitis et *humilis* corde“ et vere *amabilis* in suo regimine.	g) Societas imitari conatur Christi humilitatem et suavitatem regiminis (cf. cap. XXXI. et c. XXXIII.).
h) Rex finem sibi proponit subjicere omnes infideles i. e. totum mundum et omnes hostes et sic intrare in gloriam Patris aeterni.	h) Societas, cum sit Ordo apostolicus, desiderat in pugna pro eodem fine obtinendo sub vexillo crucis militans excellere.

(Exercitia.)

2) Contemplationes de vita Christi *exhibent exemplar pro omnibus hominibus.*

3) *Meditatio de duobus Vexillis*

a) est quaedam continuatio exercitii de regno Christi. In illo enim convocatur exercitus et cohors selecta formatur; in praesenti vero haec cohors jam instruitur *in modo pugnandi ac alios instruendi et mittitur in universum mundum.* In priori exercitio magis hostes interni, in hoc vero magis *hostes externi* considerantur eorumque *fraudes et insidiae deteguntur.*

b) Dux noster stat in campo apud Jerusalem, urbem pacis, speciosus et amabilis, benigne com-

(Institutum.)

2) Christus *peculiari prorsus modo est exemplar Societatis* (cf. Pars I. Sect. III.).

3) a) Societas in Formula Instituti a S. Ignatio sub *crucis Vexillo militans* dicitur; nec casu haec verba adhibita videntur, cum constet, S. Patrem etiam in hac contemplatione accepisse a Deo positam „ante oculos formam et modellum Societatis", imo „universam Societatis methodum, totum artificium atque integram structuram", ut S. Ignatius ipse confessus est P. Everardo Mercuriano (cf. Lancitium, De praest. Instituti c. 1. n. 7). Sicut exercitium de regno Christi magis ad originem Societatis refertur, quae „humanis mediis instituta non est" (10. P. Constit. in primis verbis), ita hoc de duobus Vexillis magis labores apostolicos ejus respicit.

b) Huic suavitati Ducis et Regis respondet in ejus Societate spiritus suavitatis tum in genere, tum

(Exercitia.)	*(Institutum.)*
mendans, non severe praecipiens ea, quae desiderat.	in specie suavitas regiminis (cf. cap. XXXIII.).
c) Dux se sistit *in loco humili* et docet nos, per quos gradus homines sint ducendi ad *humilitatem* aliasque virtutes.	c) Huic humilitati et doctrinae Ducis respondet *humilitas et paupertas* Societatis (cf. cap. XXXI. et cap. XXXII. art. I. n. 7.).
d) Discipuli mittuntur in *universum* mundum, ut spargant doctrinam suam sacram „per omnes status et conditiones personarum“.	d) Inter hos discipulos i. e. viros apostolicos locum non ultimum obtinet Societas, quae tota est *apostolica* et *maxime universalis* (cf. cap. VII. et cap. XXIX.).
e) Exhibentur bina castra, unum Ecclesiae Christi, alterum diaboli, sibi prorsus *opposita*, et duo exercitus perpetuum bellum gerentes.	e) Cum Societas velit excellere in servitio Christi et ejus Vicarii in terris, maxime contraria est diabolo ejusque asseclis; inde odium singulare hostium Ecclesiae et Christi in Societatem.
f) Tota imago meditationis *regulas discretionis spirituum* veluti depictas repraesentat, ut illi, qui electuri sunt statum vel aliud, de fraudibus daemonum instruantur eisque „vera vita“ ostendatur in Christo Duce.	f) Cum Societas singulari modo odio daemonum sit obnoxia, conveniens fuit, ut etiam armis peculiaribus contra eosdem muniretur in multis et praeclaris Instituti mediis et etiam in praeclara doctrina de discernendis spiritibus. Ideo S. Ignatii imago diabolo baculo elevato minitantis sensu plena est.

(Exercitia.)	*(Institutum.)*
4) *Meditatio de tribus classibus* postulat a quolibet generosam sui abnegationem, ut se plene Deo tradat.	4) Societas Jesu desiderat, ut omnia membra sua *ad tertiam classem pertineant* (cf. cap. XXXII. de rigore abnegationis).
5) Tres *humilitatis gradus*, quorum consideratione electionem aliquam instituens praemunitur, ne amore honoris et fuga humiliationis perperam eligat, quod sibi non convenit.	5) *Tertius humilitatis gradus* omnibus proponitur candidatis expetendus (in Exam. c. 4. n. 44.) verbis, quae transierunt in Regulam 11. Summarii.
6) *Modi electionis* status, qui tamen etiam in aliis negotiis adhiberi possunt.	6) Regula 16. Praepositi Provincialis ait: „Quando aliquid occurrit, de quo non liceat cum Consultoribus agere, poterit *juxta primum et secundum modum* in Exercitiis ad electionem faciendam traditis, quid agendum sit, deliberare.“
7) Brevis instructio „ad *emendandam* et *reformandam propriam vitam* et statum“.	7) Hac reformatione vitae singuli quotannis tempore octidui Exercitiorum utuntur, quae cum aliis mediis efficacibus ad id confert, ut Societas se intrinsecus reformans externa reformatione non egeat.
VI. *Tertia hebdomas. Passio Christi.*	Societas *„sub Crucis Vexillo militans“*.
1) Christus in Coena	1) Respondet in Socie-

(Exercitia.)	*(Institutum.)*
ultima SS. Sacramentum instituit.	tate peculiaris devotio erga SS. Sacramentum, frequens visitatio ejusdem, frequens Communio in Societate usitata et per eam apud externos propagata.
2) Christus patitur cruciatus in corpore eosque summos.	2) Societas per suos Martyres similis facta est Christo Regi in corpore patienti et morienti.
3) Christus patitur *opprobria* et *contumelias.*	3) Societas habet gratiam singularem sequendi Christum *in opprobriis* ferendis usque ad exilia.
4) Christus virtutum splendore in suis cruciatibus nobis praefulget.	4) Societas conatur patiendo persecutiones imitari virtutes Christi, patientiam, amorem inimicorum etc.
VII. *Quarta hebdomas. Christus post passionem et crucem gloriosus resurrexit et ascendit in coelum.*	Societas militans per passionem et crucem studet pervenire *ad Societatem gloriosam* cum Christo in coelis viventem.
VIII. *Conclusio Exercitiorum.* Contemplatio *ad amorem spiritualem* obtinendum.	Societas spiritu caritatis erga Deum perfunditur vi finis sui majoris Dei gloriae, boni Dei externi, ipsi amore puro desiderandi et procurandi (cf. cap. XXX. art. II. et cap. XXXIII. art. I.).
IX. *Varia documenta:* 1) Modi varii orandi:	1) In Societate omnes hi modi orandi adhibentur

(Exercitia.)	*(Institutum.)*
tres modi et variae aliae rationes orandi: meditatio, contemplatio, repetitio, facere denuo exercitium, applicatio sensuum.	vel adhiberi possunt cum consilio Confessarii vel Praefecti spiritus vel Superioris. Sunt peculiare donum Societati a Deo per S. Ignatium concessum.
2) Regulae ad discernendos spiritus, ad quas etiam pertinent annotationes 13. 14. 17. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 12. 15.	2) De his vide dicta de med. de duobus Vexillis pag. 285.
3) Regulae de *distribuendis eleemosynis.*	3) His respondent commendata a S. Ignatio *de renuntiatione* bonorum temporalium (Exam. c. 4. nn. 1. 2. 3.).
4) Regulae de *scrupulis* discernendis sunt complementum Regularum de disc. spiritibus.	4) Reg. 5. et 6. est fere Reg. 14. Summ. tentationes per contraria vinci.
5) Regulae ad *sentiendum cum Ecclesia.*	5) Hae Regulae spiritui Societatis omnino respondent, cum sit cum Sede apostolica singulari ratione unita.

114

060.154
R735

6523

AUTHOR
Rossetti, Julio Costa
TITLE
De Spiritu Societatis Jesu

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	DATE RETURNED
	Schmidt	

6523